

De nova Hippocratis editione adornanda commentatio / qua animum aperit, atque simul ad symbolas conferendas eruditos invitat Daniel Wilhelmus Trillerus. Qui et speciminis loco libellum De anatome recensuit, emendavit, et commentario medico-critico perpetuo illustravit.

Contributors

Triller, Daniel Wilhelm, 1695-1782.
Hippocrates.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Petrum à Kastrop, et Gerardum Corts, 1740.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nmmscpg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19
D E N O V A
HIPPOCRATIS
EDITIONE ADORNANDA

COMMENTATIO:

QUA

ANIMUM APERIT, ATQUE SIMUL

AD

SYMBOLAS CONFERENDAS
ERUDITOS INVITAT

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS,

Phil. & Med. D.

QUI ET SPECIMINIS LOCO

LIBELLUM

DE ANATOMIE

RECENSUIT, EMENDAVIT, ET COMMENTARIO MEDICO-
CRITICO PERPETUO ILLUSTRAVIT.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { PETRUM à KASTROP, } 1740.
ET
{ GERARDUM CORTS. }

DE NOVA
HIPPOCRATIS
EDITIONE ADORNANDA

COMMENTATIO

AD

ANIMUM APERTUM, ATQUE SIMUL

AD

SYMBOLAS CONFERRENDAS

ERUDITOS INVITAT

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS

PHIL. & MED. D.

QUI ET SPECIMINIS LOCO

LIBELLUM

DE ANATOMIA

RECESSIT, EMENDAVIT, ET COMMENTARIO MUNIFICENTIA
CRITICO PERPETUO ILLUSTRAVIT.



LUGDUNI BATAVORUM.

ET
LUGDUNI BATAVORUM.

COMMENTATIO DE NOVA HIPPOCRATIS EDITIONE ADORNANDA.

PROOEMIUM.

Novam me Hippocratis Operum moliri Editionem, cum ex ea, quam nuper edidi, *Epistola Medico-Critica*, tum aliunde constare arbitror. Ne autem aliquis inducatur, ut credat, me heri tantum aut nudius tertius, de Hippocratis opere edendo cogitare coepisse, aut per quietem Novam illam Editionem vidisse, hincque illi in *Almelovenii Bibliotheca promissa* & latente locum assignet suum; meque ipsum inter magno promissiores hiatu, Welfschios, Baudios, Salmasios aliosque referat: sciat velim, me per duodecim integros, & quod excurrit, annos jam lapidem istum volvisse, mihi Coum cotis vice fuisse, quae meum ingenium acuit, & exercuit. Dictu enim incredibile, quam multa interea temporis observarim ab aliis praetervisa; quam praeruptos scopulos complanarim; quam densas saepe tenebras discusserim; quot desperata & immedicabilia loca persolverim; quos perlegerim Commentarios, (nam & meminisse animus horret,) quo omnibus modis Hippocrati meo, quem tam efflictim à puero paene adamaveram, suppetias ferrem, & nihil non tentarem, ut senili squalore, quo huc usque obsitus erat, exuto, rugisque, in quas libera ejus frons erat complicata, explanatis, habitu plane juvenili & explicatiore fronte in dias luminis oras aliquando exiret. Ut igitur eo luculentius appareat, quid in Hippocrate edendo praestiterim, aut potius praestare possim, si Clementissimum Numen vitae meae spatia usque & usque proterminaverit; quum alias exiguum nobis illius curriculum natura circumscripserit: visum est *praesenti Diatribe* totius aedificii rudimenta, seu operis futuri Oeconomiam breviter delineare; quo deliciarum Hippocratearum studiosi in tempore adhuc me monere possint, si quid illis aut mutandum, aut addendum, aut denique rescindendum videatur. In *duas* autem *partes*, melioris ordinis ergo, dicta mea distribuam; ita, ut primo de ipsius *Editionis forma, habitu, versione*, & similibus, quae ad *merum textum* respiciunt, tractem; deinde strictius, de *mea commentandi ratione*, quam servaturus sum in Hippocrate edendo, agam, ubi simul de *veteri commentarios scribendi more* quaedam disseram, atque simul demonstrabo, quid in illo laudandum, aut potius reprehendendum videatur: tandem vero & eos inprimis allegabo, qui in *Hippocrate illustrando rectam viam ingressi* fuerunt; quos sequi tentabo, cum in universo meo *Commentario*, tum in *specimine*, quod subnectam, h. e. *Hippocratis Libello περί Ανατομής*, seu de *Corporum resectione*. Haec totius hujus Schediasmatis sciagraphia est. Jam de utroque capite strictim & breviter quaeso agamus.

SECTIO PRIMA.

De Nova Hippocratis Editione in genere.

I. **O**mnes, quotquot hactenus habuimus Hippocratis Editiones, forma praegrandis folio vulgo dicta, prodiiisse constat. Non loquor hic de primis *Aldina* puto atque

atque *Frobeniana*, quippe quae forma majorem inter & minorem media quidem impressae; sed quum eae rudes admodum sint & mancae, immo & depravatae, praeterea etiam versione Latina atque adnotationibus orbae, iis potius, qui in sterquilinio Critico, aut potius Grammatico solum imperant, atque vocularum tantum apicibus vendendis operam impendunt ingloriam, notae sunt, quam Medicis. Sed de posterioribus mihi potius hic sermo est, quae cum versione & Commentariis excusae sunt, quales *Mercurialis*, utraque *Foësi*, & demum *Charterii* fuerunt. Est tamen & praeter has una adhuc forma minore, quam *Oëlavam* vocant, à *Lindano* procurata; quae nullo sane suo merito, nisi forte, quod facile circumferri manibusque teneri possit, ceterum enim omnium est pessima, ut alibi dixi, & ipse agnovit Schurtzleischius, *T. II. Epist. Arcan. Ep. CCXCIX. p. 447.* haëtenus sese in eruditorum familiaritatem insinuavit. Has igitur singulas Hippocratis Editiones si aqua animi lance trutino; priores ob insignem suam molem atque tumorem lectoribus sunt molestae, hincque vix tractabiles: postrema e contrario quae Lindani est, nimium curta, propter observationum defectum admodum sterilis, & propter minutissimos characteres valde ingrata sit, necesse est. Utrique igitur huic malo ut medear, *Novam* meam *Editionem* forma inter maximam illam, hancque minimam, media, h. e. *quarta majori*, ut loquuntur, excudi curabo, & quidem *duobus Voluminibus*: similem plane in modum, ac Diogenes Laërtius cum Commentariis Menagii & Variorum, per Wetstenios elegantissime olim luci fuit expositus. Hac enim ratione luculentus non solum Graeci textus Character adhiberi potest; sed & notae eidem textui statim subjici poterunt: praeter haec etiam aequae ac Lindani Editio, facile tractari potest & diurna nocturnaue manu commode versari. Si enim Lindeniani libri formam retinere esset animus; tum & eosdem minores oculorumque aciem obtundentes typos retinere necesse foret: & si textui notas subdere vellem, ut fieri debebat; tum illa editio crassitie nimia necessario deformis & indigesta evaderet. Quae incommoda tuto evitare possum, si *formam*, ut dixi, *quartam* elegero. His duobus Voluminibus accedat *Tertium*, in quo *Foësi Oeconomia Hippocratica*, ad novam hanc Editionem quoad paginas accommodata, & passim à me emendata, & locupletata. Sane luculentissimo illo opere nemo carere potest, qui inoffenso pede Hippocratem & adire & pertransire animum induxit; quum immortalis illius palatii Architectus tantam curam in condendo eo adhibuerit, tantaque eruditione illud, ceu opere tessellato & musivo, ubivis exornaverit; ut opus illud supra omnem laudem titulosque omnes positum videatur: ipse Patinius, parvus ceteroquin scriptorum laudator, *excellentem librum* merito appellavit; *Epist. 398. p. 185. vol. III.* Unde & factum, ut ob exemplarium distractionem illud & infano pretio non solum comparari, sed & adeo rarissime comparere coeperit.

II. Ex atrio, seu externa libri forma, in ipsum conclave, seu ipsum Librum jam intremus: Mox in limine, universo Operi luculenta & copiosa praemittentur *Prolegomena*, in quibus de stemmate tam paterno, quam materno, aetate, studiis, peregrinationibus, moribus, religione, meritis in artem salutarem, inventionibus, scriptis, stylo, dialecto, (de qua & nuper aliqua scripsi) tandem morte Magni nostri Hippocratis accurate acturus sum. Ordo enim videtur maxime naturalis, Auctoris alicujus Biographiam praemittere, priusquam ad ejus scripta pervolvenda accingamur, quam, quod Foësius & Lindanus, infausto hercle omine, fecerunt, Hippocratis vitam in Operum calcem rejicere. Ineptum enim videtur, prius alicujus scripta legere, & demum quaerere, quis ea scripserit, & quis fuerit Auctor. Quum e contrario ejusmodi introductio Libris ipsis praefixa, multum conferat ad Auctorem eorundem eo melius intelligendum: monita enim de aetate, more scribendi, principiis, & intentione alicujus Aucto-

Auctoris totidem faces quasi sunt & Phari, quae Lectores per salebras & tesqua in ipso Opere hinc inde occurrentia tuto & facile circumducere, atque feliciter ex iisdem evolvere possunt. In ipsa autem Hippocratis Vita concinnanda sequar potissimum ingeniosissimum *Dacerium*, qui opusculis quibusdam Hippocratis, Gallica veste à se indutis, notisque doctis hinc inde illustratis, Vitam Auctoris eleganter conscriptam praefixit; nisi quod subinde aliqua interjiciam ab ipso omiſſa, fontesque, ex quibus ille sua hausit, subjiciam; ne Lectores nos quaedam finxisse arbitrentur. Stemma Hippocratis paternum ex Sorano, Suida, Tzetze, Pacto & Thesſalo Hippocratis filio conquistum, faciliore methodo digeram, quam à *Henningesio* atque *Reineccio* factum, ac postea à *Meibomio* atque *Dan. Clerico* transcriptum fuit: Maternum autem, quod nemo, quod sciam, haecenus congestit; ipse, quousque licuerit, accurate pertexam. In fine tandem Prolegomenon primo de aliorum, qui me praecesserunt, in Hippocratem meritis loquar; deinde etiam ea, quae à me praestita fuerunt, ea, qua decet, modestia, breviter edisſeram.

III. In ipso librorum Hippocratis ordine & successione, de qua jam loqui fas est, sequar potissimum *Erotiani* veteris Hippocratis Scholiastae praescriptum, quod & auspicato fecit Foësius; nisi quod quosdam libros male à se nonnunquam divulsos conjungam iterum atque in sedem suam pristinam restituam. Quum enim veteres Codices Manuscripti, ipso Foëſio teste, in ordine librorum Hippocratis servando, mirum quantum variant; & praeterea Suidas quoque aliam eorundem seriem, nempe *Jusjurandum*, *Praedictiones*, *Aphorismos*, & tandem valde mirabile opus *Hexecontabiblon* adnotavit: tutius profecto videbatur, Erotianum sequi, quam; quod Mercurialis, Lindanus & alii ausi: sua auctoritate novam dispositionem instituere. Inprimis quum ipsum Hippocratem ejusmodi ordine libros suos scripsisse & evulgasse incertum admodum sit; prout latius in ipsis *Prolegomenis* demonstrabitur.

IV. Illos autem Libellos, quos suae Editioni, pessimo consilio, inseruit Lindanus, quosque Hippocratem, aut aliquem Hippocratem non scripsisse, liquido constat, quorumque versiones tantum hodie supersunt, plane rejiciam & omittam. Tales autem sunt *de Structura Hominis*, *ad Perdiccam Macedonum Regem*, quem & Foësius repraesentat, *de Significatione vitae & mortis secundum motum lunae & aspectus planetarum*, *de Sanitate Tuenda ad Antiochum Regem*, in quibus tam putrida, vana & superstitiosa sunt commenta, ut vetulis, sagis & circulatoribus digniora sint, quam perito Medico, nedum Hippocrate; unde & eos pro genuinis minime esse habendos, recte pronunciavit Vir infinitae Lectionis, & inexsuperabilis diligentiae Fabricius. Huc & *Liber de septimestri partu* spurius, obscurissimus; item ille, quem Bartholinus exhibet, *de Pustulis* inscriptus, & ex Arabico in Latinum à Golio versus, de cujus tamen auctoritate merito ambigit idem Bartholinus, pertinent. Qui omnes à me merito explodentur, cum quia melioribus dignioribusque locum praeripiunt, tum quoniam nullum plane praestant usum, & manifeste supposititii sunt.

V. Ceterum retinebo ex Lindano *textus in segmenta divisionem*, est enim illud Lectoris gratum & in allegationibus apprime utile, ut & Jonstono fuit notatum. Et hoc fere solum est, propter quod placere possit Lindani Editio, ut alibi dixi. Ceterum enim omnium est miserrima, ut supra jamjam fuit à me monitum.

VI. *Elogia Hippocratis*, quae idem Lindanus suae Editioni attexuit ceu fimbrias purpurae, etiam omittam. Nam longe plura poterant addi, & nihil erat, quodeum laudaret, quem omnia secula jure admirantur & laudibus extollunt. Hippocratem enim laudare idem est ac facem in ipso meridie accendere. Praeterea ejusmodi elogiorum acervus nullum alium praestat usum, quam ut libri moles eo citius intumescat, quod tamen a nobis esto alienum.

VII. *Epistolas tamen Hippocrateas* non rejiciam, utut de earum auctoritate Scaliger, Casaubonus, Reinesius, Menagius, Clericus & alii dubitarint. Nam licet largiar, non omnes ab Hippocrate fuisse scriptas; plurimas tamen eum Auctorem agnoscere, à vero haud videtur abluere, ut & recte agnovit Vir Doctissimus Humphridus Prideaux in Opere immortali de Connexione sacrae inter & profanam Historiam; in primis cum jam Plutarchi aetate, h. e. imperante Trajano, ad Hippocratem referri coeptae fuerint, ut & notatum est Jac. Sponio. Praeterea eae rationes, quas ad labefactandam earum auctoritatem, in medium attulit Cl. Clericus, non ita omnes sunt comparatae, ut eas refellendi nullum plane detur effugium, prout alibi diserte demonstrabo. Immo demus tantisper, Epistolas illas esse supposititias; tamen & propter styli venustatem, & rerum in primis gravitatem, atque Philosophiae moralis thesaurum, semper legendas & relegendas esse judicavit jam olim Illustrissimus noster Thomasius.

VIII. Quod denique *versionem Latinam* attinet, rejectis insulsis illis *Calvi* atque *Cornarii*, quam temere arripuit Lindanus, ut scilicet antiquitati honos haberetur, solam eam eligam; quam elimato cum judicio, & dulci fandi copia, nobis dedit Foësius, *praeclare enim cum Hippocrate actum est, quum Latine eum loquentem induxit Anutius Foësius interpres proximus optimis numerandus, & reliquis longe superior, qui in eodem Hippocratis convertendi labore claruerunt*: verba sunt Illustrissimi Pet. Dan. Huetii *de claris interpret. p. m. 215.* quicum & Zyngeri acutissimi Hippocratis interpretis versionem conferam, in iis nimirum libris, quos interpretatus est, & notis perdoctis illustravit. Emendabo tamen hinc inde quaedam in utriusque versione, ubi boni illi viri & ingentes animae aut humani quid passi, aut codicibus mendosis usi sunt; quod & passim contra Foësium adgressus est non sine honore, immo honore nominandus Thomas Reinesius.

S E C T I O S E C U N D A.

De ratione Commentarios in Hippocratem scribendi.

I. **Q**ui antiquos Auctores, post litterarum ex ignorantiae abyssu refuscitationem, pulvere conspurcatos & à tineis fere exesos in lucem protraxerunt, duplici mihi modo ut plurimum peccasse videntur. Aut enim *nullos* plane Commentarios, aut *multos* nimium addiderunt; adeo, ut illorum molem merito horrescant Lecturi. Sicut igitur necesse erat, ut priores locorum difficiliorum in Auctoribus hinc inde occurrentium enodationem suggererent; ita pariter necesse non erat, ut posteriores lucem ibi affundere laborarent, ubi jam lux radiabat & nulla erat caligo. Ut ad Hippocratem redeamus, ad alios enim transire jam non lubet, summae sane est necessitatis, ut ille justo & perspicuo Commentario illustretur; ob peculiarem nimirum ejus styli, summam brevitatem, locos corruptos, res arduas & similia. Hinc tot jam antiquitus in Hippocratem fuere commentati, quos partim Galenus, qui & ipse vasta conscripsit in eundem Commentaria, partim etiam Erotianus & laudarunt & notarunt: immo post id tempus tanta Commentatorum accrevit copia, ut dubium sit, possit ne Nestor aliquis, quantumvis trisecli-senex, omnia illorum volumina perlegere, quae spatioso Catalogo comprehensa, in *Genevensi Foësii Editione* recensentur; quamvis plura adhuc restent, quae Auctorem illius Catalogi vel plane latuerunt, vel post ipsius demum fata prodierunt. Verum hi Commentatores fere omnes (paucis admodum exceptis infra allegandis) magno plerumque conatu nihil egerunt, & ubi nullus esset pulvis, tamen & nullum excusserunt, ut jocatur tenerorum lusor amorum Ovidius. Consi-

Consistit enim eorum commentandi ratio, aut in inanibus subtilitatibus, perplexisque tricis, quas data saepe opera sibi nectunt, evolvendis, (quod in omnibus fere antiquis utriusque Linguae Auctorum Commentariis deprehendimus) aut in copiosis & verbosis locis parallelis ex aliis Auctoribus congestis & constipatis, in quibus tamen aut idem quod Auctor dixit, aut saepe etiam diversum quid apparet; ubi, siue prius spectes, siue posterius, Hippocratem ne hilum quidem adjuvant: aut denique meram tantum textus paraphrasin instituunt, eamque ad sua, quae foveant, principia, saepissime effingunt, adeo ut hinc non raro Auctori hoc pacto peregrina affingatur mens, cordatoque Lectori sic imponatur. Haec tria ut probemus, paucos ex unaquaque classe allegare fas sit Commentatores.

II. Eorum, qui in Hippocratis opera fuere commentati Galeno antiquiorem habemus nullum; illi enim, qui ipsum aetate praecesserunt, periere. Sed idem ille summus cetera Galenus quam saepe nugae agit, quam inanes sibi objectiones fabricatur, quanto conatu, quantoque strepitu eas confutat, quam diffuse omnia tractat, quam superflua addit, quam multa illustrare conatur ipso meridiano sole jamjam clariora? me vera dicere, non solum unanimis Eruditorum consensus testatur: sed & ipsi maxime Commentarii in *Libb. Hipp. de Natura Humana*, de *Virtu salubri*, de *Virtu in morbis acutis*, in *Libb. I. III. & VI. de Morbis Vulgivagis*, & imprimis protensa illa cum *Lyco disceptatio super quodam Hippocratis Aphorismo*, aliaque uberius declarant. Accedit, Galenum in universum cordati interpretis partes non explevisse: quum enim suae tantum famae extendendae gloriaeque captandae, unice inhiaret, factum est, ut Hippocratis Censorem magis, quam Interpretem ageret, hincque illi parum admodum fidei habendum; prout recte observatum fuit à Prosp. Martiano, J. C. Scaligero, Asellio, aliisque & luculentius à Th. Reinesio demonstratum.

III. Ad secundam classem h. e. ad eos, qui nimis locis parallelis Lectori nauseam fuscitarunt, ipse pertinet Foësius. Foësius ain? Tu, quem nuper admodum summis encomiis mactasti? Foësius inquam. Licet enim cum ex praestantissimorum Commentatorum numero eximere, summum utique foret nefas: tamen in hoc saepe peccavit, quod nimia nonnunquam ex Galeno, Aetio, Aegineta, Theophilo, Aretaeo, aliisque veteribus coacervet loca, eaque ad verbum adscribat, qua re Lectorum patientiam oppido defatigari, me monitore non eget. Si quis exemplum desideret, evolvat quaeso Foësium supra *Libro de Fracturis*, de *Medici Officina*, cum primis autem super *Libris de Morbis Epidemicis*, ad quos universus paene Galenus transcriptus est.

IV. Ad tertiam demum classem omnes fere pertinent, quotquot post Galeni tempora in Hippocratem scripserunt, & quotquot ego vidi, (vidi autem non paucos & fere dixerim, plerosque) Quales sunt v. g. *Valesius in Libb. de Morb. Epidem.* licet hoc pro optimo Valesii libro habeat Guido Patinus *Epist. Vol. I. Ep. 46. p. 193.* aliaque, *Hollerius, Jacctius, & Duretus in Coacas Praenotiones*, *Martianus & Marinellus in universa Hippocratis Opera*, *Salius in IV. Libb. de Morbis*. *Victorius in Prognostica*, *Perla in Lib. de Loc. in Hom.* *Flavius in Lib. de A. L. & A.* aliaque plures, quos nec haec nec sequens pagina capere potest. Hos autem & quos dixi, & quos reticui, omnes paraphraftas aut metaphraftas rectius dixeris, quam Commentatores. In eo enim potissimum illorum versatur opera, ut ea, quae ab Hippocrate stylo circumciso, pro more, fuere consignata, verborum apparatu extendant flosculisque ex Scholasticorum dumetis, (rosētis volui dicere) decerptis exornent, securi interea de textu, siue corruptus, siue obscurus, siue plane desperatus fuerit. Sic corvos deludunt hiantes perditum illi Interpretes. Me vero miserum! qui tot eorum volumina per-

volvi , ut scilicet nihil scirem , nihil discerem , & quae bene sciveram , male scire occiperem.

V. Hunc igitur in modum comparati haftenus fuerunt scripti in Hippocratem Commentarii , ut scilicet in tanta eorum abundantia summa paupertate urgeamur , & Hydropicorum ad instar , in medio quamvis aquarum gurgite constituti , siti tamen inexplebili adhuc excruciemur , & ferventia ora puro latice proluere anhelemus. Videntur scilicet boni illi Viri justii Commentarii naturam penitus ignorasse ; secus enim nobis veram & perspicuam textus enarrationem , pro tot phaleris atque offuciis , haud dubie dedissent. Nam qui veri & inculpati Commentatoris defungi vult officio , ante omnia in id incumbat , ut Auctoris , quem Commentariis illustrare instituit , verba accurate consideret & expendat , eorumque genuinum in hoc vel illo loco sensum eruat , illumque vel ex ipso Auctore atque sic parallelismo probet , aut ex coaevo Scriptore commonstret ; quo facto , sensus dein realis per se patebit. Quodsi enim verba rite explanata sint , (loca autem sana hic suppono , & non mendosa ,) tunc sensus necesse est , ut facile perspiciatur. Deinde ut diversas Vett. Codd. Lectiones , sed insignes , & à recepta scriptione longius paulo recedentes , non , quod hodie plerumque fieri amat , minimas & nihil significantes particulas , sedulo adnotet , cum antecedentibus & subsequen-
tibus Textus verbis studiose comparet , atque iudicio defaecato usus , & bono Dae Criticae favore adjutus , liquido demonstret , quanam illarum maxime videatur probabilis , ut in ipsum textum tuto recipiatur. Porro , ut , ubi cum Codd. Mssii plane deserunt , & nihilominus textus apertissime mendosus est , quod saepissime in Hippocrate praefertim , contingere , cum à Foëssio , Zwingero , Dacerioque , jam olim observatum , tum à me nuper admodum demonstratum est , verisimilem , nec à priscis litterarum vestigiis nimis abludentem (tales enim emendationes cum Scaligero , Casaubono , Reinesio , Bocharto , Mercero , Meursio , & Palmerio semper optimas judicavi) modeste adponat , atque Lectoris iudicio lubens subjiciat ; melius enim est aliquid dixisse , quam nihil : maxime tamen caveat , ne ingenio nimium indulgens , studioque innovandi inani pruriens , textum per se non obscurum , obscurum tamen facere & proclamare allaboret , quo messum saltem habeat , in quam falcem suam criticam temere immittere possit , quo vitio maximos plerumque Viros , inprimis autem Salmasium , laborasse compertum est. Denique ut superflua omittat , longius petita non adferat , brevibus sese , si fieri potest , expediat , atque adnotationes in universum in pauca conferat , ut uno quasi intuitu , Lector Auctoris sensum perspicere , atque in ipsius Lectione ulterius inoffenso pede progredi queat.

VI. Ad hanc igitur normam Stephani , Casaubonus , Heinsius , aliaeque ingentes animae nobis Herodotum , Diodorum , Thucydidem , Athenaeum , Polybium , Strabonem , Theophrastum , Clementem Alexandrinum , Maximum Tyrium , aliosque Auctores Graecos illustratos ac emendatos dederunt. Sicut familia Scaliger , Gruterus , Lipsius , Gronovius pater , Graevius , Burmannus , alique in Aufonio , Catullo , Tibullo , Propertio , Manilio , Seneca , Tacito , Valerio Maximo , Livio , Floro , Justino , Suetonio , Petronio , & Quinctiliano , Valerio Flacco , Phaedro , Vellejo Paterculo , Ovidio , aliisque Scriptoribus Latinis magna cum laude praestiterunt. Solus autem fere Hippocrates desertus & à suis Enarratoribus inclementer tractatus fuit , ita ut propter obscuritatem & saepebras , nec à Medicis legi , nec ab aliis Eruditis intelligi plane huc usque potuerit. Quum tamen praestantissimus hicce Auctor , cum ob antiquitatem , (est enim una cum Herodoto ac Thucydide inter Profarios antiquissimus ,) tum ob styli venustatem & Ionicam suavitatem , ut nihil de rerum , quas tractat , pondere , & sententiis adytis dignis hic commemorem , si quis profecto alius , maxime mere-

merebatur, ut diligentius, quam hactenus factum, Eruditorum manibus tereretur, rariusque deponeretur. Sed unde obsecro hujus morbi caput? Credo me veram causam esse hariolatum. Qui enim scripsere in Hippocratem, aut boni Medici fuere solum; hincque praeter longas & steriles textus paraphrases nihil nobis dare potuerunt; aut Medici criticis subsidiis & accurata Graecae linguae cognitione non satis instructi; inde Lectores locis Galenicis aliisque parallelis congestis, paene suffocabant. Edere igitur atque illustrare Hippocratem fausto omine poterat sane nullus, nisi esset *Medico-Criticus*. Solus Criticus non poterat, ob salutaris scientiae defectum: solus autem Medicus non poterat, ob defectum Graecae Linguae & criticorum subsidiorum: Sed is solus poterat, qui in utroque probe esset subactus, ita ut Medicinae gnarus, sensum realem eruere, & Graecae Linguae peritus, sensum verbalem explanare, mendosoque nonnunquam textui medicinam adhibere valeret. Ego igitur forsitan solus ille futurus sum Daedalus, qui machinam istam paene immobilem, vel solius digiti tactu circumrotare sustineam? absit tam effrenis arrogantia à me quam longissime! Novi me pede meo metiri atque modulo, & semper mecum habito. Sed dum ingenue eloquor, quid ad egregium Hippocratis Interpretem pertineat, quaque ratione in eundem Summum Auctorem componendi sint Commentarii, edoceo;

- - - - - *fungar vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi,
Munus & officium, nil tangens ipse, docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.

VII. Immo nequaquam putandum est, tam caram esse bonorum Commentatorum in Hippocratem annonam; ut nemo sit, qui ad eam, quam praescripsi, regulam, observationes suas composuerit. Minime gentium. Fuerunt enim omnino aliqui, rari quippe boni, qui in Hippocrate rite interpretando, aeternam sibi nominis famam pepererunt. Huc cumprimis pertinet Foësius, nisi quod interdum justo plus diffusior, ut supra notavi, & in asserendis genuinis emendationibus & lectionibus paullo timidior, quod & à Freindio Anglo nuper observatum fuit; item Mercurialis acutissimi ingenii Vir, nisi quod nimium tribuerit fluxae auctoritati veterum membranarum Vaticanarum, ut alibi de eo adnotavi: porro Zvingerus, subtilissimi juxta & felicissimi ingenii Commentator; nisi quod elegantissimas suas & doctissimas observationes & emendationes operosissimis *Tabellis*, ceu totidem pistrinis, inclusit, unde & sibi, dum scriberet, & Lectori, dum legeret, acerbam crucem fixit. Interea tamen dolendum, quod non in universa Hippocratis Opera; sed in *XXII*. duntaxat *libros* calami Musis foetum strinxerit. Veniunt quoque in hunc censum Gorraeus, qui in *VI. Hippocratis Libros* doctissima & ingeniosissima scholia confecit; nisi quod petulantiae criticae labe nonnunquam laboret, & novas lectiones exsculpere contendat, ubi nulla plane id urget necessitas; hinc eam aliquoties recte castigavit Meibomius, & notavit cum Patino Salmasius: Opsopoeus, qui *V. Hippocratis Libros* terse vertit, & acutis notis & emendationibus probe instruxit; nisi quod in illis subinde minutias plus aequo sectetur: Septalius, qui *Librum de Aëre Aquis & Locis* elegantissimis & bonae frugis plenissimis Commentariis quinque illustratum edidit. Heurnius, qui in *XIII. Hippocratis Libros* luculentum Commentarium adornavit: Jul. Caesar Scaliger, & maximo hoc suo patre longe major filius Josephus Scaliger, quorum hic *Librum de Capitis Vulneribus*, ille autem *Librum de Insomniis* elegantissime recensuit, illustravit, & inimitabili plane sagacitate emendavit; quod & ipse professus fuit Foësius: Dacerrius, qui *XVI. Hippocratis Libros* feliciter ac ornate in Linguam Gallicam transfudit,

& selectissimis adnotationibus ac castigationibus locupletavit; sunt & alii, qui hic laudari merentur, inprimis vero Meibomius, in *Jusjurandum*, qui licet justos commentatoris limites, pulcro & utili errore transgressus videatur; eo ipso tamen vastissimae eruditionis thesaurum nobis reclusit: Sic & Salmasius in *Aphorismum LXXIX. Sect. IV.* docte satis commentatus est; nisi quod Hippocratis magis reformatorem quam explicatorem egerit, ita ut pro more suo, quem in Plinio potissimum tenuit, omnia turbârit, destruxerit, finxerit, refinxeritque pro lûbitu: hic enim Vir in Auctores Veteres non solum imperium, (quod ipsi multi sponte, quamquam inique, detulerunt, ut recte judicat Jo. Fr. Gronovius in ea Epistola Libro de pecunia Vet. annexa) sed & adeo tyrannidem exercuit, ita ut per omnes, quos modo arriperet, ceu rapidus torrens, sese praecipitaret, & quicquid sibi forte obitare deprehenderet, audacissime, discuteret, emendaret, aut plane deleret. Sicut id pluribus demonstrari possit, si illud hic ageremus. Et haec de Hippocratis Commentatoribus, qui aut rectam viam ingressi, aut tamen haud procul ab ipsa absuerunt: quibus plura sane adhuc adjici à me possent; nisi ea latius explicandi commodior recurreret locus in ipsis *Prolegomenis*.

VIII. Horum igitur illustrium Ducum videbo an vestigia legere possim in conscribendis meis in Hippocratem Commentariis & observationibus; ita tamen, ut quantum potero, eorundem lapsus supra notatos sedulo evitem. Cavebo, ne in luxatis reponendis, in obscuris dilucidandis, in depravatis emendandis, in supposititiis temereque in textum intrusis rescindendis, nunc cum Foësius plus justo timidior; nunc cum Gorraeo, Hoffmanno, Lindano atque Reinesio plus aequo audacior deprehendar; sed ut potius via media semper incedam. Conciso quidem, sed perspicuo tamen dicendi genere utar; nisi summa urserit necessitas latius aliquanto divagari, prout & in ipso, quod infra legitur, *specimine Hippocratico* nonnunquam fieri à me oportuit. Variantes Lectiones, si cujusdam sint momenti, studiose adnotabo, & quae loco, de quo sermo, convenientissimae mihi videntur, semper indicabo. Praeter Foësii, Dacerii, Gorraei, Mercurialis, Opsopoei, aliorumque selectiores notas & emendationes, varias addam Salmasii, Vossiorum, Scaligerorum, Casauboni, Spanhemii, Gatakeri, Bocharti, Reinesii, Bartholoni, Lindani, Cagnati, Hoffmanni, Leopardi, Mureti, Tollii, Clerici, Schotti, Vesslingii, Petiti, & aliorum praeclarorum virorum magno studio & industria ex ipsorum scriptis erutas & congectas; quas non Medicis solum, verum & mansuetiorum litterarum studiosis in genere valde profuturas speramus. In id enim maxime incumbam, ut Hippocrates postea non solum ab Medicis, sed etiam ab omnibus Philologiae cultoribus cum fructu quodam pervolvi queat. *Rogo autem iterum hic atque obsecro, ea qua decet humanitate, omnes Eruditos & sacris hisce initiatos, ut si quid aut ipsi habeant, aut ubi lateat, sciant, quod Nostram Editionem splendidiorum reddere possit ac locupletiorum, illamque gratiam non tam mihi, quam potius bono publico, ad cujus utilitatem omnes Cordatos Viros, ceu ad praefixum scopum, collineare addecet, fieri, apud animum reputent: Credant denique etiam, quod ad me, beneficium illud non in ingratum temere profundi. Est enim benignum, inquit major Plinius, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: quam auro contra aestimandam regulam vel me, unicuique suum cum laude tribuendo, semper sancte observaturum esse publice polliceor.* Ceterum, ut revertar, unde digressus sum; *Notas meas*, etsi quandoque etiam copiosas, ipsi textui subalternam; non, quod Foësius fecit, ad librorum calcem rejiciam quia illud Lectori gratum & proficuum; hoc contra eidem molestum & incommodum. Jam vero ne Lectores per ambages & longa exorsa diutius teneam, *Specimen* supra promissum sequitur, ex quo

ceu fimbria aliqua, totius contextus ratio, & quid, quantumque ex me in Hippocrate edendo & illustrando sperari queat, facili negotio poterit dijudicari. Selegi ad id *Libellum de Anatome*, qui, si non est Hippocratis; nam Erotianus & Galenus de illo tacent, & Mercurialis, item Hofmannus, plane dubitat; Hippocrate tamen non est indignus; brevem quidem si verba, sed si res in eo tractatas, textumque nunc obscurum, nunc depravatum respicis, satis patentem, in quo aliquis suum possit, si velit, exercere ingenium. Imprimis cum nemo adhuc justum in Istum composuerit commentarium, unde ego, quod absque jactantia dictum esto:

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musae.*

Illum igitur in *tmemata* à me dissectum, versione accuratior longe & luculentior, quod praefiscine dixerim, ac Cornarii & ipsius adeo est Foëssi, ornatum, & notis medico-criticis uberioribus necessariisque emendationibus instructum jam, utinam auspicato! exhibere conor.



Ι Π Π Ο Κ Ρ Α Τ Ο Υ Σ

περὶ


Α' Ν Α Τ Ο Μ Η Σ.

HIPPOCRATIS


de

DISSECTIONE

Libellus.

I.  ρτηρίη (1) ἐξ ἐκατέρω (2) Φαρυγγέω
τὴν ἐκφυσιν ποιευμένη ἐς ἄκρον πνεύμο-
νος τελευτᾷ, κείκοις ζυγκειμένη ὁμοιο-
ρυσμοῖς (3) τῶν περιηγέων ἀπτομένη
κατ' ἐπίπεδον ἀκμήλων. (4)

1. Α' ρτηρίη, five arteriam vocat fistulam illam cartilagineo-ligamentosam, cujus ministerio spiritus in pulmonum folles intro hauritur, & rursus exploditur, quaeque ad vocem articulate edendam confert. *Fistulam spiritalem* vocat Lactantius, *cannam gutturis* Coel. Aurelianus; Recentiores, veluti Galenus, Theophilus, Nemesis, Theodoretus alique ἀρτηρίην τραχήων five arteriam asperam, ut Cicero, Celsus alique vertunt, dicunt, ad ceterarum nimirum arteriarum, quas λείας five leves vocant, differentiam. Noster vero nude ἀρτηρίην scribit, quod & apud Aristotelem, Rufum Ephesium, Alcinoium, Eustathium diversis ad Homerum locis, immo & ipsum adeo Sophoclem in Trachiniis, reperire est. Est enim proprie ἀρτηρία quasi ἀεροτήρια, h. e. τὸν αἶρα τηρῶσα, quae aërem custodit & conservat, ut exponit Hesychius. Credebant quippe veteres Medici pariter ac Philosophi, quos inter Erasistratus inprimis, ut & Galenus, Theophilus, Rufus Ephesus, Seneca alique, arterias in universum μάλλον αἰνκι πνευματώδεις ἢ πολυαῖμες, magis esse spiritu, quam sanguine turgidas, & ut Hippocrates ipse Lib. de Carn. loquitur, τὸ πνεῦμα ταμιεύειν, spiritum recondere; eo credo inducti, quod αἷμα πνευματώδες, ut Auctor Gr. de Anatome à Laurembergo editus ait, h. e. sanguinem spirituosiore in arteriis, quam venis contineri animadverterent. Ceterum Noster arteriam hanc spiritalem Lib. de Corde, de Venis IV. de Morb. & alibi etiam σύριγγα five fistulam vocat, quod miror à Foëfio in Oeconomia non observatum: Idem Lib. de Alimento, de Venis, & alibi, ut & Democritus, five quisquis Auctor libelli de Nat. Hum. item Plutarchus & Theophilus, hoc loco βρόγχον quoque posuerunt, quod & notatum Galeno Lib. VII. de Administ. Anat. & alibi. Antiquissimis denique temporibus tracheam vocatam fuisse ἀσφάραγον, memoriae prodidit Plutarchus, Sympos. L. VII. qu. I. p. 558. Adde Suidam Voc. Σφαγγύοντο, & Lamb. Bos in Animadvers. ad Script. Graec. c. XLVII. p. 188. λάρυγγα quoque vocari, notius est, quam ut multis hic commemorem.

I.  istula spiritalis ab utraque faucium parte exortum faciens, in pulmonis summitatem definit, ex annulis sibi similibus composita, seque invicem in superficie ambientibus connexa.

2. Φαρυγγέω fauces denotat, ut ex Galeno, Aretaeo, Rufo aliisque probat Lindanus, Med. Phys. c. VI. Art. 21. n. 194. inprimis, Aretaei locus c. Lib. II. de caus. acut. c. 11. apprime huc facit: Φαρυγγέω, ἔνθα καὶ ἀρχαὶ στομάχου καὶ ἀρτηρίης, fauces, ubi & gulae & gutturis five arteriae asperae initia: Pollux alique Veteres Grammatici, Φαρυγγέω scribunt, Hesychius autem φαρυγγέω, quod in Φαρυγγέω mutandum esse recte viderunt Lindanus & Foësius, quanquam id retinuit Varinus.

3. Nempe ex orbiculis fere rotundis cartilagineis aspera arteria constructa est: hos Theophilus Lib. III. de Corp. Hum. Fabr. c. 13. βρόγχια, ipsamque asperam arteriam ex multis ejusmodi bronchiis five circulis compositam eleganter cylindrum vocavit, quod & notatum Lindano: De his Bronchiis adeundi quoque Aretaeus L. III. c. 10. & inprimis Galenus L. VII. de Compos. Med. sec. loc. 11. Lib. IV. de loc. Affect. locisque alijs quamplurimis. Vocat autem Noster circulos illos ὁμοιορυσμούς, sibi similes, coaequales, quasi ἐκ ὁμοίων ῥυσμῶν καθιεσκέτας five ex aequalibus tractibus constantes. Scilicet vox ὁμοιορυσμός (nam utrumque est rectum, ut & observavit Foësius, licet contra stet Lindanus) peculiarem habet significatum; & quod ad posteriorem partem nempe ῥυσμός, Abderitana & Democritica est, *format* & *tyrum* significans: Suidas ῥυσμός inquit, κατὰ Α'βδηρτικὴν διάλεκτον σημαίνει τὸ σχῆμα καὶ ἑτέροις δὲ λέξις ἐκ ἰλληνικαῖς οἱ περὶ τὸν Α'βδηρίτην Δημοκρεῖτον χρεῶνται: simile observat Philoponus in I. Aristot. de Anima: ῥυσμός λέξις ἐστὶν Α'βδηρτικὴ, σημαίνει δὲ τὸ σχῆμα, & Eustathius ad Dionysii περιήγησιν, ubi eadem in hoc significato vox, haec notat: ῥυσμόν δὲ τὴν ἑκτασιν λέγει (Dionysius) τὴν θίξιν, τὴν ἀλέσασιν, ἢ αἰς αὐτὸς εἶπε, τὸν τύπον & paucis interjectis: ἐστὶ δὲ ἐκείν ῥυσμός τὸ σχῆμα, ὁ τύπος, ἢ θίξις, γίνεται δὲ ὁ ῥυσμός ἐκ τῶ ῥύω, τὸ ἐλκύν: adeoque ῥυσμός est à ῥύω traho, quod & de figura & lineamentis vultus, Latinis, Gallis, & Italis usurpatur, ut *tractus vultus* &c. Errat igitur Philoponus supra citatus, quando hanc Eustathii & aliorum

rum Etymologiam rejiciens, vocem ῥυσμὸν & aliunde deducendam, & aliud significare asserit. Haec omnia uberius paullo consignata legas licet apud Menagium ad Diog. Laërt. L. IX. segment. 47. p. 414. 415. ubi & hac voce Callimachum quoque usum observat. Quando igitur, ut ad nostrum locum revertar, animadverto, quinque peregrinam hanc vocem ὁμοιορυσμὸν, in tali, quem dixi, significato, ab hujus libelli Auctore fuisse usurpatam: in eam fere delabor sententiam, hujus libelli Autorem fuisse potius Democritum Abderitam Hippocratis nostri amicum, & in re Anatomica admodum versatum, ut Plinius, Petronius & ipse Hippocrates in eleganti illa ad Damagetum Epistola testantur, quam ipsum Hippocratem. Democritum enim hac voce usum inprimis fuisse, aperte professus est Aristoteles, L. I. Metaphys. cap. 4. ex quo superiora Suidae verba hausta esse recte animadvertit Menagius l. f. c. & ipse Diogenes Laërtius in Democriti vita ubi cum Librum περὶ διαφορῶντων ῥυσμῶν, de differentibus figuris scripsisse adnotat, quod Aldobrandinus inepte de differentibus rugis, & Ambrosius de differentibus fragoribus, ineptius verterunt, eadem observante Menagio: Sic & eodem Laërtio Auctore, alium Librum Democritus inscripsit: περὶ ἀμειψιῶν ῥυσμῶν, quod iterum de rugarum permutationibus ineptissime vertit idem Aldobrandinus, quum tamen, ut recte vidit Menagius, vertendum esset de mutationibus figurarum. Ex eadem igitur ratione eidem Democrito libellum de septimestri partu falso hactenus Hippocrati adscriptum, obscurissimum quidem illum, adjudicari: non solum enim ibi vocem ῥυσμὸν septies, & verbum quoque ῥυσμῶσαι aliquoties sic usurpat; sed & reliqua subtilius & abstrusius longe proposita suadent, aut ipsum Democritum, aut alium Abderitam Philosophum, istius libelli Auctorem esse credamus. Id velim adhuc notes; vocem Chald. ܪܝܫܐ *Rasum*, & ܪܝܫܐ *Resim* à verbo ܪܝܫܐ *Relam*, & sono & significato cum voce Abderitica ῥυσμὸς, concordare: sicut etiam vocem ܪܝܫܐ, qua Democritum pro κινήσει sive motu usum esse narrat Aristoteles L. de Coel. IV. c. 6. ex more Hebraico ܪܝܫܐ,

Sua, movere, originem traxisse admodum probabile videtur. Verum haec alterius sunt loci, ideo nec dicta sunt.

4. Interpretes hic legisse videntur: τὸ περιγίαν ἀπτομένην κατ' ε. α. quod ineptum non est; concinnior tamen videtur lectio, quam cum Foësius & Lindano in textum recepimus. Recte autem idem Foësius vocem ἀπτομένην exponit per ἡμμένη, πρὸς διδμεν, *coarctata, colligata*; hunc enim significatum non hic solum; sed & in aliis Hippocratis libris v. g. de Nat. Mul. de Vict. Aegrot. in Morb. Acut. & alibi recipit. Vocem porro περιγίαν Hefychius scite explanat per κυκλότερον, sive περιφ. ρεῖς, rotundius & in orbem flexum; comm. de tamen etiam notante Foësius, per γναμπτόν & καμπύλον, curvum & recurvum reddi posse nullum est dubium; immo huic nostro loco praecipue est conveniens. Sollicite interea Noster Tracheae circulos κατ' ἐπίπεδον tantum sive quoad superficiem περιγίαις circumflexos dixit, quia non perfectam circuli circumferentiam imitantur; sed ea parte, qua oesophagum attingunt, membranosa, sive ligamentosa substantia induuntur, unde & σιγμοειδείς, à semicirculari nimirum C. figura veterum Graecorum, recte Gaeno, argute dicuntur: Hinc & Celsus L. IV. c. 1. ad eam vertebrarum imaginem, qua in spina sunt, compositos eos animadvertit; & Galenus, sive Auctor Libri introductionis c. xi. eosdem vocavit κερκοειδείς καὶ κυκλότερας, hoc est, annulo similes & paulo rotundiores. Simile quoque observatum Theophilo, loco supra allegato, L. III. de Fabr. Corp. Hum. Cap. 13. Atque ad haec in nostra versione respeximus, quod priores Interpretes paulo obscurius sensum expressisse videbantur. Unus Lindanus in Med. Phys. c. VI. §. 193. mentem senis assequutus videtur, ita verba vertens: ex annulis constituta consimilibus, talibusque apta, qui undique inter se superficietenus sunt colligati. In ipsam tamen Editionem hanc versionem non transtulit: adeo videt meliora, deteriora sequitur.

II. Αὐτὸς δὲ ὁ πνεύμων συνεξαναπληροῖ τὴν χέλυν, (5) τετραμμένος ἐς τὰ ἀεγρεῖα, (6) πέντε ὑπερκορυφώσιαις ἔχων, ὥς καλέσσι λοβός· (7) τεφρίνης χροῖης τυχὼν, σίγμασιν ὀφρυνώδεσι κεκεντημένος, (8) φύσει ἐὼν τευθρηνιώδης (9).

III. Μέσῳ δ' αὐτέῳ ἡ καρδίη ἐγκαθίδεσται (10) στρογγυλοτέρῃ καθεστῶσα πάντων ζώων. (11)

5. συνεξαναπληροῖ, *praegnans verbum*: quod quis ex condigno transferat in Latinum? cui negatum est tam felici in componendo, Cornarius conatus est: coadimplet. Foësius ne conatus quidem: implet. Ita exclamat Lindanus Med. Phys. c. VI. §. 178. ubi hunc psalm libellum strictim recenset. Et verum est o-

II. Ipse vero pulmo coadimplet fornicatam pectoris capacitatem, ad sinistra conversus; quinque habet prominentias, quas lobos appellant: cinereum colorem nactus est, notis subobscuris dispunctus, & naturâ favi ad instar cellulis distinctus.

III. In ipsius autem medio cor collocatum est, rotundius constitutum, quam in omnibus est animantibus.

mnino, hanc vocem non satis emphatice posse in Lingua Latina reddi, sicut & multae aliae non possunt, de quibus Seneca inprimis, & ipse Cicero conquesti. Interim tamen Cornarius satis concinne eam expressisse videtur, quem & nos sequuti. Frequentius vero Noster ejusmodi Decompositis, ut

Grammatici loquuntur, delectatur, quae ipsi quasi propria & apud alios Auctores vix inveniuntur, ut jam quoque Galeno notatum: Tale v. g. est verbum *ἀναχλύσσειν* in Coac. praenot. & alibi &c. quod & observavimus in Herodoto Hippocrati *συγχρόνως*, ut nihil de poetis dicam, quos imitatum saepius fuisse Hippocratem alibi diximus, & alibi, cum Deo, probamus.

Sequens in textu *χέλως* proprie est testudo, sive reptile illud amphibium scuto satis valido armatum; post instrumentum musicum, & denique machinam fornicatam significat. Hic autem fornicatam pectoris capacitatem denotat, uti in nostra versione bene nos expressisse opinamur. Nicandri Scholiafles ad Alexipharm. v. 81. *Δὲ χέλως* per testudinem, exponit *Δὲ τῷ στήθεϊ* per pectus, quale & apud Hesychium legitur. Hinc & *χελύσσειν* & *χελύσσεισθαι*, *ἀναχλύσσεισθαι*, item & *χελύειν* (quod rectum est, nam *χελῆς* *μουσικὸν ὄργανον*, est apud Hesychium, adeo ut fallatur Lindanus, qui in *χελύσειν* temere mutavit,) per *βήσσειν*, tussire, exscreare, expectorare, idem exponit Hesychius & laudatus Nicandri enarrator, qui ex ipso nostro Hippocrate locum allegat: *ἀναχλύσσειται ἢ ἐρυγγάνει θάμινά*: inde & Galenus *χελύσειον* *ξηρόν* (ita enim legendum exponit per *βηχίον βραχὺ*, brevem tussiculam; idem in Glossis: *ἀναχλύσσειται*, (ita enim quidam Codd. recte habent pro *ἀναχελύσειται*, ut observat Foësius) exponit *ἀναξηραίνεται*, exsiccatur, quod suspectum, imo falsum est. Legebam aliquando: *ἀναξηρὰ ἐνέται*, ubi superne sive per guttur arida (tussim aridam vocant) evacuantur, expurgantur; satis quidem, opinor, apposite: sed legendum potius: *ἀνέξεῖται*, *ἐνέται*, aut una voce *ἀνέξεῖται*, h. e. educit, evacuat, evomit, egerit, evacuat, depletur &c. posset quoque legi: *ἀνὰ ἔξωται*. Superne, nempe per fauces, *evacuatur*, *educitur*, quod cum expositione Hesychiana optime concordat. (de hoc verbo *ἐξεῖν*, quo & ipse usus est Hippocrates, Dioscorides alique, item *κατέξεῖν*, quo Arrianus ad Epictetum utitur, varia hactenus ignota notavit Gatakerus, Advers. Miscell. posthum. c. XLI. p. 854. seqq.) Porro Erotianus *ἀναχλύσσειται* (ita enim recte legit Foësius pro corrupto *ἀναχελύσειται*,) scite quoque reddit per *ἀναπνέει*, respirat: Spartanos autem imprimis *χελύττειν* & *χελύσσειν* pro *βήττειν* & *βήσσειν*, tussire, usurpasse testis est Clem. Alexandrinus in Protrept. ut ad Hesychium notavit Soping. Vide quoque de his Foësius in Oecon. & Lindanum l. f. c. Videtur autem allegoria *τῷ χέλως ἀντὶ τῷ στήθεϊ*, ex eo potissimum deducta; quod thorax regia vitae viscera, cor puta atque pulmones, ad instar testudinei scuti, ab omni externa injuria sarta tecta que conservat, unde & *θώρακος* sive *thoracis* h. e. *loricae*, *munimen*ti, *turris* nomen; & Plinius L. XI. c. 37. *pectoris murum* elegantissime appellavit: porro, quod ad instar *musicae testudinis*, ad sonum articulate edendum plurimum conferat, unde & pectus Aristoteli aliisque *ὄργανον*, & nostro Hippocrati ipsi in Libro de Loc.

in Hom. pluries *κίθαρος*, venustissime dictum est; (*χέλως* enim idem ac *κίθαρά*, ἀπὸ τῷ ὀστράκῳ *χαλάνης*, *κίθαρά* γίνεται, inquit Hesychius, & *κίθαρά* idem ac *κίθαρος*, teste eodem & Athenaeo, ut ibi in Notis observat Gronovius: est autem *κίθαρος* vox Dorica, de qua Erotianus & Foësius in Oecon. plura:) imprimis legi hic meretur Theodoreti sermo III. de Providentia, ubi perbelle de thoracis & pulmonum vi musica loquitur, atque ex hac hominis conformatione naturali, artem deinde testudines & instrumenta musica componendi inventum esse ingeniose observat. Vide & Steph. Morinum in limine incomparabilis de Lingua primaeva operis, nec non Jo. Dan. Mejeris breve consilium de concipienda Anatome nova.

6. Modo dixerat, pulmones omnem thoracem *συνεξαναπληρῆν*, quod & verum: hic autem eosdem *ἐς τὰ ἀριστερὰ τετραμμένους* in sinistram tantum partem conversos esse, aut sinistrorsum versus spectare, (sic enim Thucydidi vox *τρέπεισθαι* sumitur, & *τετραμμένους* exponit: *πρὸς αὐτὰς τὰς ὀφείας ἐχέσας*,) liquido affirmat: quod contradictorium videtur, immo & falsum. Quare Lindanus ita locum legere praecipit: *Εἰς δὲ τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερὰ τετραμμένους*, in dextrum sinistrumque divisus: pulmones enim mediastini interventu, in dextrum sinistrumque Lobum, aut *fibrum*, ut Celsus loquitur, dividi, notum est, & ipse Hippocrates in Coac. praenot. *τὰ ἀμφότερα τῷ πνεύμονος μέρει*, ambas pulmonis partes commemorat. Inde Lindani lectionem rejiciendam penitus non esse liquido adparet: eandem tamen cum ipso in textum recipere adhuc dubito; cum quia paulo audacior; tum quia codicum deficit auctoritas, nec lacunae vestigium in iisdem conspicuum est. Minori longe negotio emendari, si necesse, posset: *εἰς τὰ ἀμφότερα*, aut *εἰς τὰ ἀμφότερα*, aut *εἰς τὰ ἀμφω σίερα*, quae omnia apprime huc faciunt, τὸ enim *ἀμφότερον* universam pectoris cavitatem quam pulmones aëre inspirato turgidi *συνεξαναπληρῶσι*, significat; duas porro cavitates sive duo pectora efficere videtur medius mediastini paries; inde & *σίερα* in plurali frequentius legitur, ubi tamen de uno tantum thorace sermo est; vox ceterum *ἀμφότερα* eodem spectat, ut non indigeat Commentario. Sed nescio, ingeniosiorne sit quam verior isthaec emendatio, qua legerim: *τετραμμένους ἐς τ' ἀρυστήρα*, *pulmo mutatus sive accedens ad hauristrum*, h. e. *insupradibulum*, sive *cyathum*, quo liquida hauriuntur. Nempe quid sit *ἀρυστήρ*, cujus origo ἀπὸ τῷ ἀρύσσειν ab hauriendo, docebunt Athenaeus, Deipnos. L. II. Schol. ad Aristoph. Vespas. p. m. 492. Suidas & alii. Quum vero notum sit, pulmones & liquidum aëra haurire, & liquidum potum; ut quidem, quod ad posterius, crediderunt Veteres, (qua de re videatur Plutarchus Sympos. L. VII. c. 1. ejus plagiarus Macrobius, Saturn. L. VII. c. 15. Plato in Timaeo, Galenus de re Hipp. & Plinius L. VIII. & alibi, immo ipse Hippocrates Lib. de Corde, licet studiose confutet Auctor L. IV. de Morb. quod tamen qui commode inter se conciliandum, egregie ex Galeno docet Vir doctus ad Gell. L. XVII. c. 11. p. 777. Edit. Gro-

Gronov. Gellius, Anacreon alique poëtae inprimis) quod tamen vel superiore seculo Th. Bartholinus cum Jul. Jafolino denuo in scenam producere sustinuit, alique multi citati Guidotio in Prolegom. ad Theophil. de Urinis, ubi & ipse ab hac opinione haud alienus: eosdem quoque pulmones ea ex ratione ἀρυσήρας vocari posse, nihil, quod impediatur video, & quominus dicta mea veritatis specie destituantur, audiamus Rufum Ephesium fidissimum Hippocratis Interpretem, qui L. II. Part. Hom. c. 5. ita loquitur: ὁ δὲ πνέμων χώνης τρέπον ἐπέχων εἰς δίοδον πνέματος, pulmo infundibuli sive haustri vicem sustinet ad transitum spiritus; ita locus vertendus; qui enim χώνη per solem verterunt, nae illis

Immensa cavi spirant mendacia folles.

χώνη enim a χέω descendens, vas fusorium sive infundibulum significat, & non multum abludit à superiore voce ἀρυσήρ. Quam verisimilia autem haec talia videantur, ita ut pauperiores Critici his reperiis Croeso & Craffo se ditiores, & Ganymede beatiores crederent; nobis tamen adeo necessaria non videntur, quibus vel locum in textu assignemus, vel diutius immoremur. Constat enim, veteres Medicos Anatomes non adeo exacte peritos credidisse, pulmones cordis motum sequi: is autem maxime sub sinistra papilla persentiscitur, quia cordis mucronem sive conum illuc tendere notum est. Quumque mihi hujus opinionis vestigia in Libello de Corde reperisse visus sim; malim credere, Auctorem hic levius errasse, quam asserere ipsum ingeniosis aut nostris aut Lindani nugis doctiorem & veraciorem reddi aut posse aut debere.

7. Non quidem ordinarie quinque lobi observantur; observantur tamen quandoque, ut Galenus L. VII. Adm. Anat. de Uf. part. L. VI. & alibi, item Piccolhom. Riolan. Salzman. Rhod. Vesal. & ipse qui hos citat, Bartholinus animadverterunt. Secus enim pulmo in duos majores lobos, quos & πτέρυγας sive alas scite dixit Noster de Coac. Praenot. divisi, iterum in quatuor minores lobos dividi, ut notum, solent. Nescio sane cur hic Hippocratis nostro sententiam de quinque lobis pulmonum deseruerint plerique Anatomicorum. Ceu rarum enim quid quandoque observari scribit Galenus L. VII. Adm. Anat. de Uf. part. L. VI. & alibi, cumque sequuti Piccolhominus, Riolanus, Salzman. Rhod. Vesal. & ipse, qui hos citat, Bartholinus. Quum tamen certum sit, in pulmone humano semper quinque dari distinctos, in quos ducitur, lobos, quod quidem, licet ubique verum, pauci tamen notarunt artis magistri, ut me per literas docuit Vir illustris & medicorum hodie facile princeps Herman. Boerhaave. Ceterum vocem ὑπερκεύρωσις, quae & in seqq. occurrit, apud alium Auctorem, quam nostrum, rarius forte invenias. Hesych. κορυφώσασθαι exponit per ἐκτελείσασθαι, finire: unde κορυφώσις erit τελειότης, sive quod Hippocrates ipse, ex eo, quem imitatur, Homero habet τέλησιν, extremitas. Per Lobos vulgo explicant, uti mox sequitur, λοβοὶ enim τὰ ἄκρα πάντα, testibus Hesychio, Polluce &

Suida, significant, per τὰ ἄκρα μέγιστον reddit Etymol. M. Latine Fibras reddunt Plinius, Celsus & alii, optime sane: Nam Fibrum, extremum veteres appellasse observat Varro L. IV. de L. L. c. 13. ubi divus & divinus Jos. Scaliger adnotat, fibrum sive fibrum venire à finire, ut fabrum à facere: quae & notata sunt Lindano c. VI. §. 180. Med. phys. Plura ex Festo, Philoxeni Glossis & aliunde desumpta vide apud Bochartum Hieroz. p. I. L. II. c. 45. p. 801. quamquam Salmasius haec nugae vocat, atque fibrum sive fibrum potius derivandum censet ex Graeco φιβρὸν, ex quo Aeoles more suo postea fecerunt φιβρὸν, quod idem est ac molle, sive delicatum &c. vide ipsum Exercitat. Plin. p. 131. sed nobis Varronis & Scaligeri alterius Varronis, sententiam magis placere, disserterem non possumus.

8. Sequitur Rufus Ephesus, qui L. II. c. 5. pulmonis colorem aequae τριφὸν καὶ ὑπόλευκον, cinereum & subalbidum esse asserit: sed eum esse naturalem pulmonum colorem merito negant Lindanus, Bartholinus alique; nam potius in aegris ita observatur; quum in sanis sit ordinarie ex pallido flavescens, aut ex albedo-rufescens, quem colorem Helvum Veteres Latini, Festo auctore, vocarunt. Quum tamen quosdam cineres, v. g. Turvarum, ut observat Lindanus, ejusmodi colore heluo h. e. ex pallido-rutilante tinctos videamus, ad illos speciatim Nostrum respexisse credibile est, atque hinc nihil, quod reprehendatur, in hoc certe commisit. His accedit Vesalii testimonium, qui se quandoque pulmones fusco colore imbutos observasse memoriae prodidit.

Verba textus sequentia: σήμασιν ὀφθαλμοῖσι κεκρυμένῃ ita in textum ipsum recepimus, quomodo à Foëfio & Aemilio Porto καλῶς τε καὶ γαλῶς τε fuerunt emendata, quum antea in omnibus Codd. legeretur: σήμασιν ὀφθαλμοῖσι; quod, quid sit, nemo interpretum hariolari valuit, nec ego me illud divinatorum confido. Interpretes tamen per caverposum reddiderunt; quare? non desinio. Foëfii ergo lectionem merito amplector. Est enim (en ipsius verba,) in pulmonis colore inaequalitas, ut subfuscus quidam candicante rubore color inesse videatur, & praeterea notis veluti quibusdam stigmatibus, fere subnigricantibus obnubilatus, aut tanquam nubium lineamentis conspersus ac distinctus. Verum Lindanus haec falsa esse, atque in his tantum vera, qui Nicotianae fumum in pulmones dimittere soliti, proclamant; solum ut suae emendationi, quam adeo in textum recipere ausus est, hoc fuso & fumo aliquem favorem conciliet. Legendum enim contendit: σήμασιν ὀφθαλμοῖσι, punctis spumosis, easque vesiculas intelligere vult, quae tum in tota pulmonis superficie tolluntur, quando pori ejus frigore obturantur, à vaporibus autem exire gestientibus membrana inflatur: Vide ipsum pluribus Med. Phys. c. VI. §. 183. p. 244. Quis vero hic non animadvertat, hanc Lindani lectionem & explicationem Foëfiana non solum non meliorem, sed & adeo longe deteriore esse? Hippocratem enim de pulmone in statu suo naturali constituto, non autem refrigerato jam, & calore suo privato, in quo ejusmodi vesti-

culae spumosae conspiciuntur, loquutum esse ea evincunt, quae de reliquis visceribus differunt. Quod vero praeterea Foësius insultat, sine causa fecit & sine ratione: primo enim ille illa pulmonis puncta non adeo crasse nigra & obscura; sed *serè nigricantia* & *subfusca* nuncupavit: secundo, quod maxime notari hic meretur, pulmones *marmoris instar variegatos* in satis sanis observavit Th. Bartholinus; hoc autem idem est ac si cum Nostro diceret: *είγματος ὁρμηώδεσι κεκνημένους, εἴγματα* enim Hesychius per *ποικίλματα* sive *variaciones*, ut sic loquar, recte exponit. Ex quibus nunc patet, Lindanum potius ipsum esse reprehendendum, quem & ea propter cum *spumosa* sua emendatione exulare merito jubemus.

9. Et hanc egregiam Emendationem Foësius debemus, atque Aemilio Porto, quam ceu verissimam, post Lindanum, in textum recepimus merito, quum antea in Codd. sine ulla ratione legeretur: *τε θρηνώδες*, pro quo olim Cornarius *ἀνθρώδης* legit, ut ex ejus versione patet, non tam à sensu, quam veteri scriptura longius recedens. Est autem vox *τεθρηνώδης*, ἀπὸ τῆς τεθρηνίης, h. e. *κηρίης*, sive favo, aut nido ex cellulis constructo insecti cujusdam aculeati, vespaee similis; mellificantis tamen, sive uno verbo, apis silvestris, quod *τεθρηνήν* vocat Nicander v. 545. Alexipharm. Aristoteles autem L. IX. Hist. Animal. c. 43. *Τεθρηνῶδες*; ita enim recte definit Hesychius, per *ζῶων τῶν ἐντόμων καὶ κεντροφόρων, ὡς ὅτε πλῆστοι σφηκί' ἐν αὐτοῖς ἀγέλαιαν μέλισσαν*. Hinc igitur vox *τεθρηνώδης*, descendens aliquid favi ejusmodi ad instar cellulis & alveolis distinctum significat, ut in versione expressimus; aut si uno verbo velis, *teredinarium* dicas cum Scaligero patre & Gaza, aut *teredinosum*, etsi una voce vix satis commode reddi potest, multo minus *perforatum*, ut Foësius fecit Calvum sequutus, hincque à Lindano non injuria notatus. Supra laudatus Hesychius *τεθρηνώδης* exponit per *πολὺ καὶ κενὸν κηρίον καὶ ἀεγαίον*, quamquam haec paulo aliter in suum Glossarium transtulit Varinus, quod & notatum Foësius. Plutarchus quoque Sympos. L. VIII. c. 3. hanc vocem per *πολύκενον* & in Quaest. Plat. VI. per *πόρος καὶ ὄμιος ἔχειν*, optime exponit, nisi quod ibi *τεθρηνώδης* legatur, quod in *τεθρηνώδης* mutare non ausim, quum & hoc genuinum esse possit, ut vel ex hoc Aeliani loco, (suavissimi hercle Auctoris, quemque cum haecenus nullo suo merito plane neglectus fuerit ab Eruditis atque desertus, innumeris locis correctum & emendatum edituri sumus *σὺν Θεῷ*!) quem cum bona lectoris, ut spes est, venia hic emendabo, dilucidius patebit: Locus legitur L. XII. c. 20. Hist. Animal. in hunc quidem modum: *οἱ δὲ ἄκρωτες ταῦτοι τὸ θρηνώδες, ὅτε δὲ ἰσχυροῦς Δημόκριτος ἐπὶ τῷ βρέγματος ἔκ ἔχοντας (εἴη δ' ἂν σπαραγγῶδες λέγων) ἀντιτύπῃ τῷ παντὸς ὄντος ὁρᾶται*, h. e. infelici Gillio feliciter satis interpretante: Muti boves Threnodes, ut Democritus vocat, id est, foraminulentam cranii partem & poris sive meatibus plenam non habent, sed os universum solidum,

Nihili hic esse vocem *τηνώδες*, vel ex praefixo obelo liquet. Gesnerus in margine *τηνώδες* legere vult pro *τηρηνώδες*, vel & *τερινώδες* (ipsa haec emendatio emendanda, nam *θρινώδες* debebat scribi,) ἀπὸ τῶν θρινῶν, h. e. teredinibus ligna terebrantibus & perforantibus: quae huic loco oppido quidem convenirent, nisi in priore lectione duriusculum paulo cognoscerem contractionem; in posteriore autem detortum aliquanto significatum. Legendum itaque mihi certo certius videtur pro corrupto illo *θρηνώδες*, *τεθρηνώδες*; ut apud Plutarchum est, aut *τεθρηνώδες*, ut apud nostrum est Hippocratem & Hesychium, quamquam prius priscæ scripturae vestigiis pressius paullo insistit; quam meam lectionem vel ipsam adjectum Scholion: *σπαραγγῶδες* h. e. fistulosum, foraminulentum, (per *χαῖνον* enim, *ἀραιὸν καὶ πολλοῖς τρήμασι διηρημένον* vocem *σπαραγγῶδες* recte exponit in Exegesi Hippocrat. Galenus) egregie confirmat. Sed nunc è diverticulo iterum in viam Hippocrates igitur, quando significanter pulmones *φύσει τεθρηνώδεις*, h. e. *naturaliter*, (seu quod idem, quod compagem & conformationem, quomodo *φύσεως* vocem saepe sumsit Noster, de quo alibi ex instituto plura dicta sunt,) in *cellulas distributos* vocat: non tam ad Tracheae & arteriae pulmonalis per pulmonem ramificationes; quam potius ad universum pulmonis substantiam, puta *fistulosam* & *vasculosam*, quam acutissimus Marcellus Malpighius nostra aetate se primum detexisse opinatus est, respexisse videtur. Quod enim Hic ita ad Sagacissimum Borellium transcripsit: *Diligenti indagine adinveni, totam pulmonum molem, quae vasis excurrentibus appenditur, esse aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quae extensae & sinuatae paene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, VELUTI IN APUM FAVIS, (notentur haec quae so.) ALVEOLIS ab extensa cera in parietes conspiciuntur: Hoc inquam Hippocrates per unicam vocem *τεθρηνώδης*, favi ad instar cellulis distinctus, exquisitissime indicasse mihi videtur. Et ne putemus, hoc uno loco, qui ob Auctorem non satis notum, in controversiam vocari posset, divini Senis tantum niti auctoritatem: en alium ex Lib. περὶ σαρκῶν, §. IX. ubi de pulmonis conformatione in huncce modum loquitur: *Ἡ καρδίη τῷ ὕγρῳ κολλῶδίστατον θερμαίνουσα ταχὺ ἐξήρανεν ὅπως ὡς ἀφρόν καὶ ἐποίησεν σπαραγγῶδες, καὶ φλέβια πολλὰ ἐν αὐτῇ: Cor ex humido glutinosissimum calefaciens cito exsiccat veluti spumam, & fecit illud foraminulentum venulasque praeterea in ipso plurimas. Vides hic ipsum pulmonum corpus statui *σπαραγγῶδες*, hoc e. idem, quod *τεθρηνώδες*, ut Aelianus nos supra docuit: vides porro, venulas per pulmones dispersas sollicite ἀπὸ τῆς σπαραγγῶς separari; illa enim φλέβια αἷμα τῆς σπαραγγῶς τείνεται, h. e. per substantiam pulmonum vesiculosam & fistulosam feruntur. Porro Noster Lib. de Vet. Med. §. XL. pulmonem *σπογγώδεια*, sive Spongiformem vocavit, & in Lib. de Ven. §. XIX. eundem dixit *σπλάγγιον σπογγώδεις*, sive *viscus spongiforme*. Possem plura hujus sensus loca ex Lib. IV.**

IV. de Morb. de Loc. in Hom. & aliunde allegare, nisi haec sagaci animo satis esse crederem. Verum non Hippocrates solum; sed & qui tantum ducem sequuti, ejusmodi vasculosum corpus pulmoni attribuerunt. Plato in Timaeo, πνεύματος ἰδίαν σύ-
ειγας, aut, ut Galenus rectius legit, σήραγγας ἔχειν ait οἷον σπόγγη κατατερημμένης; de quo loco legendus laudatus modo Galenus L. VII. de Dogmat. Hipp. & Plat. circa fin. item Athenaeus Deipn. L. XV. p. 688. Hunc ingratus & erga praeceptorem Platonem, & nostrum pariter Hippocratem sequutus est discipulus Aristoteles, qui L. III. c. 6. de Animal. part. & alibi, pulmonem σμφόν sive spongiam vocat, eique σμφόνητα adscribit. Asclepiades, Plutarcho Auctore de Pl. Ph. IV. 22. λεπτοτάτης πόρος in pulmone agnoscit, & apud eundem Symp. VII. 1. Plato laudatur, quod sciverit τὸν τε πνεύματα σήραγγας ἔχειν καὶ πόροις εἶναι κατατε-
ρημένον, quae Macrobius, qui plurima, ut notum, ad verbum ex Plutarcho furatus est, ita trans-
tulit L. VII. Saturn. c. 15. pulmo tot meatibus distin-
ctus est, & interpretet rimis. Inprimis autem huc Aretaeus facit, qui L. 1. de Caus. Chron. c. 10. pulmonem vocat μαῖον, πολύτερον καὶ σπογγήϊκον, rarum, multiforum & spongiae similem: tale & alibi habet, ut & Rufus Ephesius; Nemesius c. xviii. de Nat. Hom. pulmonis carnem ἀφρώδια σπυγ-
σάν, vocat: Auctor Introduct. Anat. Gr. c. XL. pulmonem σμφόν καὶ σφείγγαν πλήρη appellavit, & Theodoretus Serm. III. de Provident. σπογγιοειδὲς καὶ πολύπορον ὃ πνεύματι σῶμα pronunciavit: Nihil jam de Galeno dicam, apud quem plurima in hunc sensum loca deprehendere licet. Similiter & Celsus L. IV. c. 1. pulmonem spongiosum dixit, & luculentius adhuc Plinius L. XI. c. 37. pulmo est spongiosus & fistulis inanibus canis, adde Ciceronem L. II. de Nat. Deor. Sed haec sufficiant, nisi, quod vereor, plura jam dixerim, quam ut sufficere possint. Patet interim ex haecenus dictis Malpighii inventum haud adeo esse novum, quam quidem credidit, licet eum rem subtilius longe ac studiosius, quam veteres demonstrasse, nulli negemus: adeo, ut Comici istud huc commode quadret; quod scilicet nihil dicatur, quod non dictum sit prius. Superfedere autem hoc labore jure hic potuissem, nisi & Almelovenius in suis Inventis Nov-Antiquis, & Sponius in Aphorismis Novis, hoc Caput, ut plura alia, suo tempore à nobis demonstranda, plane intactum intentatumque reliquisset. Vidi tamen postea, haec quoque in mentem venisse Th. Bartholino, cujus vide Librum de pulmonibus Sect. 1. seqq.

10. Quod hic per ἐγκαθίδρυται effert, eleganter in Lib. de Corde ita exprimit: τὴν ἔδρην ἐμπεποίηται,

sedem fixit: Hinc Democritus καρδίαν βασιλίδαν, veluti τῇ ἔδρῃ ἐγκαθίζομεν sive solio suo insidentem scite vocavit. Inprimis pia sunt & ingeniosa, quae saepe jam laudatus Theodoretus Serm. III. de Provident. p. 50. 51. de corde differuit, quae, quia liber iste non omnium manibus teritur, digna sunt, quae huc transcribantur: ὁ δημιουργὸς καρδίαν κυριώτατον ἔσαν μέρος, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ σώματος πεπιστευμένην, καθάπερ τινὰ βασιλίαν πάντοθεν περιφράττει, καὶ περιβόλον αὐτῇ ἰσχυρὸν τὸν θύρακα περιτίθῃσι, ἵνα μηδὲν αὐτῇ βλάβος τῶν ἔξωθεν περισιπτόντων λυπῇ. h. e. Summus Creator Cor, ut praestantissimam partem, quaeque corporis imperium sibi habeat conceditum ceu regem quendam undique circumvallat, ipsique validum murum, pectus videlicet, circumponit, ut hac ratione nihil externarum injuriarum adeo facile ipsum conturbare possit: similia his passim apud Galenum Libb. praecipue de Us. part. it. de Dogmat. Hipp. & Plat. L. II. & alibi invenias: eleganter quoque Plinius L. XI. c. 37. Cor Costarum & pectoris muro munitum vocavit, adde Ciceronem sup. cit. de Nat. Deor. Est autem allegoria petita à deorum dearumve statuis, quae in medio templo collocabantur: ut ex illo Maronis notum:

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit
qui & Aeneidos l. de Didone:

Tum foribus Divae, media testudine templi
Septa armis, folioque alte subnixta refedit.

ut de aliis locis taceam, res quippe satis nota. Et hoc, quem dixi, significatu, invenitur verbum ἐγκαθίδρυται apud Diodor. Siculum L. V. & alibi, item apud Lucianum, Lib. de Amoris, & aliis quoque locis hinc inde occurrentibus.

11. Addidit hic Cornarius ἀσχηματιστήν, sine auctoritate; sed & sine necessitate. Retinuit tamen in versione Lindanus, quamvis in ipsum textum non receperit, quem puerilem lapsum sexcenties commisit, & jam aliis & mihi quoque nuper fuit notatum: Foësius autem in Notis hoc quidem monuit; sed in ipsum Textum recipere merito repudiavit. Immo boni Cornarii liberalitatem ipse redarguit Auctor Introductionis Anat. c. XXXIX. hisce quidem verbis: τότε ὅλον καρδίας εἶδος ἢ ἀσχηματιστὴν, ἀλλὰ στρογγυλότερον; Tota Cordis figura non tam oblonga est, quam rotunda; quae ex Aristotele transmutata quin sint, nullum relinquitur dubium, cujus en verba ipsa ex Hist. Animal. L. 1. c. 17. τὸ ὅλον καρδίας εἶδος ἢ ἀσχηματιστὴν, ἀλλὰ στρογγυλότερον. Rufus etiam Ephesius L. II. c. 8. καρδίαν τῷ σχήματι στρογγυλοειδῆ, Cor formaturbinatum: quicum conferas Galenum Libb. de Us. part. & de Administ. Anat. &c.

IV. Α' πὸ δὲ καρδίας ἐς ἥπαρ βρογχίη πολλὴ καθίκει (12) καὶ μετὰ βρογχίης φλέψ μεγάλη καλυμμένη, δι' ἧς ὅλον τὸ σκῆνός τρέφεται. (13)

IV. A corde ad Hepar arteria Cartilaginea ampla tendit; & cum hac cartilaginea arteria, Vena, quae magna dicitur, per quam universum corporis tabernaculum sustentatur.

12. Reduximus hanc antiquam lectionem cum Foëfio, quam sine fontica causa exturbaverat Casp. Hoffmannus L. I. de Thorace, c. 7. apud Lindanum Med. Phys. c. xvi. §. 202. p. 806. haec nempe illius loco substituens. ἀπὸ δὲ τῆς καρδίας ἐς ἡπαρ βρογχίαν κατέκειτο φλέψ, μεγάλη καλεομένη: satis quidem ingeniose; si satis vere. Quae Lindanus miro, pro more, novitatis studio impulsus, ex templo arripuit & in ipsum textum temere intrusit: sed sine necessitate, ut dixi. Hanc enim, quam restitutumus, Lectionem jam Galeni aetate approbatam fuisse, testatur ejusdem Glossarium, ubi βρογχίαν (ut recte emendat Foësius pro βρόγχιαν,) explicatur per ἀρτηρίαν χοιδράδην, sive arteriam cartilagineam; quo ad praesentem Hippocratis locum respexisse Galenum, nec Foësius dubitavit, nec nos dubitamus. Summe autem injurii cum Hoffmannus, tum Lindanus hic in optimum fuere Foësium, quando eum haec de arteria aspera interpretatum fuisse arbitrati sunt. Quis enim, obsecro, credat, excellentissimum illum Medicum in re Anatomica adeo puerum, immo infantem fuisse, ut arteriam asperam à corde egredi, atque dein hepar ingredi pudendo adeo errore tradiderit? quum certum potius sit, utrosque hos Foëfio-mastigas, doctissimum Virum non intellexisse; sed potius, quum ista legerent, coecutiisse, immo limis lippisque ocalis ejus Oeconomiam inspexisse. Ibi enim aperte docet, quam ex ratione Galenus βρογχίαν per χοιδράδην ἀρτηρίαν explicauerit: scilicet, quia istud βρογχίαν derivavit ἀπὸ τῆς βρόγχε, h. e. arteria aspera (ut in limine explicuimus) quam ἐκ τῆς βρογχίαν, h. e. ex annulis cartilagineis compositam esse omnibus constat, de quo & in antecedentibus à nobis actum. Dixit igitur Foësius (en ejus verba!) βρόγχιον arteriam asperam significare, quod plurimis βρογχίοις, sive corpusculis cartilagineis constat: non vero βρογχίαν in hoc nostro loco, quam vocem potius significatum suum ab illo βρόγχε quodammodo mutuam fuisse, ita ut eam per arteriam quandam cartilagineam in genere (non autem arteriam asperam cartilagineam in specie,) interpretaretur Galenus, rectissime asseruit. Ceterum nec ipse quoque Cl. Dan. Clericus hunc locum intellexit, sed & ne recte quidem legit; apponam ipsius verba ex Hist. Med. Part. I. L. III. c. 3. p. 128. Hippocrate remarque que plusieurs Bronchies (βρογχίαι) passent du coeur dans le foie, & avec ces Bronchies la grande veine, par laquelle tout le corps est nourri. Quae contra mentem Hippocratis. Sed hoc de verbis; jam tandem ad res; quid enim per βρογχίαν; quid etiam per φλέβα μεγάλην intellexerit Auctor, multum refert ut uberius paullo hic edoceatur. Puto ergo, per βρογχίαν significasse τὴν κοίλην sive venam cavam, per φλέβα μεγάλην autem τὴν πύλην, sive venam portam aut portae, quam & οσφίariam vocare solent: αὐτοσφιύουσι γὰρ τὰ ἡπατι αὐτὰι δύο φλέβαι μέγισται, ἡ μὲν καλεομένη πύλη, ἡ δὲ κοίλη, h. e. Adnatae enim sunt Hepati, haec duae insignes & amplae venae, quarum una porta, altera cava dicitur, verba sunt Auctoris Intro-

duct. Anat. c. xix. ex Aristotele, quicum confertur Galenus, L. VI. de Pl. & Hippocrates it. Lib. de Ven. & Arter. Dissert. Scio quidem ab his horumque affectis, venam cavam ordinarie fere vocari φλέβα μεγάλην, venam magnam, quia & vera maxima est & amplissima: sed an ista denominatio jam Hippocratis aetate fuerit recepta aequae potest dubitari, quam affirmari; magis tamen dubitari. Videtur igitur, venam portae hic potius μεγάλην sive magnam vocatam esse, quia post venam cavam omnino maxima est in tota corporis machina. Immo & ipse Galenus eam vel simpliciter μεγάλην, magnam, aut cum additione αὐτὴς πύλης aut ἐπὶ τῆς πύλης, variis in locis observante Lindano, Med. Phys. p. 807. cavam autem ad illius differentiam, μεγίστην sive maximam locis supra citatis vocavit. Et quid multa? ipse Hippocrates, hic βρογχίαν sive venam cavam, ποτὴν h. e. spatiosam, amplam, maximam significanter appellavit, (ita enim hanc vocem hic reddi potius conveniebat, ut à nobis quoque in versione observatum, quomodo à Thucydide, Aeliano & aliis bonae monetae Auctoribus usurpatur, πολλὴ γὰρ ἀντὶ τῆς μέγας, exponit Hesychius quam per multam; sicuti inconsulte factum fuit ab interpretibus omnibus & ipso quoque Dan. Clerico, ut supra notatum) quod optime respondet descriptioni in Libro de Carn. ubi eam venam κοιλωτάτην, cavissimam vocat, ad distinctionem videlicet venae portae; quae κοίλη tantum sive cava vocatur. Aristoteles etiam scite appellavit πλατείαν, sive latam, amplam, spatiosam, ita ut haec vox, quod ad significationem, accurate respondeat voci ποτὴν, utramque enim spatiosum & amplum significare notum est. Haec igitur βρογχίαν ποτὴν, eadem vena est, quam Libro de Ven. Epid. II. & alibi vocavit Noster ἡ πατίτην sive Jecorariam; ubi enim vena cava αἵματι ἐς τὸ ἡπαρ, ad hepar insilit, ut ibidem loquitur, aut, ut rectius dicam, aliquantisper tantum ad hepar divertit, nomen ἡ πατίτιδος, sive Jecorariae, item Hepatariae indispicitur; quod tamen una cum abitu ex hepate iterum amittit: videatur Galenus, Comm. II. in L. de Nat. Hum. it. de Foet. Form. de Venar. & Arter. Dissert. ut & Rufus Ephesius, L. I. c. 33. sed nunc difficultas non levis oboritur, cur nempe Hippocrates Venam cavam hic arteriam; & cur cartilagineam dixerit; & an recte fecerit. Possem hunc nodum statim dissecare, si Galenum hanc vocem βρογχίαν haud recte explicuisse asserere vellem; sed malo eum solvere. Quod ergo ad prius, notum est, quam saepe Veteres arterias cum venis confuderint, utrasque scilicet συνανύμειν sumendo, qua de re alibi à me dictum fuit. Verum mittamus hoc, tanquam ad involvendum magis Hippocratem, quam evolvendum idoneum. Videtur scilicet vena cava non inepte inter arterias quodammodo referri posse, cum ratione tunicae, tum ratione motus & pulsus. Tunica eam satis crassa ac densa esse indutam, nemo in dubium vocare potest: motum autem intestinum habere, aut saltum quemdam ἀρτηριώδη

mentiri, per transfennam & nebulam quasi jam viderunt Aristoteles c. 20. de Respir. atque Galenus. L. vi. de Us. part. & loc. immo ipse Hippocrates, Lib. περὶ Σαρκ & alibi: manifeste autem patrum nostrorum memoria observarunt Walaeus, Entius, Sylvius, alique Bartholino teste: vide Hofmannum, Comment. in L. VI. c. 16. & 17. Galenum de Us. Part. n. 397. Ideoque nihil erravit hic Hippocrates, quum venam cavam arteriae nomine insigniret, eo scilicet respectu, quod arteriarum instar, & tunicam crassam haberet, & motum quandam σφυγμοειδῆ referret. Sed nunc ad posterius: unde scilicet & utrum vena cava vocari possit χονδρώδης, sive cartilaginosa? Hic ante omnia sciendum, vocem χόνδρος, sive cartilaginem non sensu suo rigido, sed paullo laxiore esse accipiendam, ita nimirum, ut integumentum, sive partem corporis membranis spissiore & solidiore, cartilaginibus vulgariter sumtis flexiliorem, & ossibus denique longe molliorem, hic intelligamus. Et memorabilis in hunc sensum legitur Locus §. XVII. περὶ Σαρκ ubi τὰ βρογχία sive corpuscula cartilaginosa, (de qua voce haec ipsa βρογχία descendit ut supra monitum) in sequentibus explanat Hippocrates per χονδρείον μαλακὸν ἕκαστον σπόνγιον, cartilaginem spongiae in modum mollem. Quibus praemissis, vocem χονδρώδης hic non secus, quam per παχύν sive crassam reddi oportere, liquet: Ita enim Noster L. de Ven. ut & de Morb. Sac. Venam & cavam & arteriam magnam, nempe φλέβας παχίας venas crassas nuncupat, sicut & Cael. Aurelianus priorem eodem modo crassissimam vocavit: unde & illud rursus infertur, Hippocratem Aortam & Venam cavam pro homogeneis, sibi invicem similibus habuisse. His accedit denique, quod Highmore Auctore, striga quaedam cartilaginosa in medio venae cauae transversim emineat in medio ostii ad cordis ventriculum ducentis aliquantum oblique adstans, ut verbis Bartholini utar, adeo, ut hujus respectu, vena cava βρογχία, sive arteria χονδρώδης cartilaginea omni jure vocari possit. Et haec de vena cava. De vena porta nihil dicere attinet; nulla enim hic caligo, praeterquam, quod utraque hae magnae venae per tubum quemdam venosum à Bauhino primo observatum, qui è portae sinu in cavam tendit, conjungantur, ut alias hujus utriusque principis venae anastomoses taceam, quas parallelas, cruciatis, mixtas & obliquas Bartholinus vocat, ab Harveo quidem, Riolo aliisque in dubium vocatas; sed jam olim ab Erasistrato atque Galeno observatas, & à Lindano, imprimis autem laudato Bartholino, uberius assertas & elegantissime delineatas. Unde lux affunditur istis Hippocratis verbis in nostro textu: μετὰ βρογχίας φλέβῃ μεγάλῃ καλεσμένη, una cum vena cava, vena magna (aut Porta) dicta, hepar ingreditur. Sed jam tempus est, ut ad hancce Portam subsistamus. Patere autem ex haecenus dictis confido, Hofmannum frustra hunc locum tentasse; & Lindanum eam emendationem gratis Textui suo intulisse.

13 Ita solenne est Hippocrati, Daedaleam cor-

poris nostri machinam eleganter vocare. Sic v. g. Aph. XVIII. Sect. VIII. σώματος σκήνος habet, imprimis autem locus ex Lib. de Corde huc pertinet, ubi eodem, ac hic, modo, de venis universum corpus perreptantibus, ipsique salutarem liquorem instillantibus, ita loquitur: οἱ ποταμοὶ ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ σώματος ἔχεται τὸ σκήνος, hi sunt fluvii per corpus, quibus ejus irrigatur tabernaculum. Restituenda quoque haec vox in altero obscurissimo de septimestri partu, Libro, ubi pro monstroso σκισσά ἐπτάμηνα, certo certius legendum est σκήνα ἐπτάμηνα, ut ex contextus serie patet. Sed non Hippocrates noster solum bellissima hac allegoria usus est: verum & plerique veterum usi sunt. Sic Democritus in Epistola ad Hippocratem, ἐλομελίην ἢ σκήνωσιν observandum esse monet, ut & Aretaeus L. II. c. 6. de Acut. Sic & Ocellus Lucanus in Fragment. de Leg. Timaeus Locus de Anima Mundi extrem. Plato de Morte, Aelianus Hist. Animal L. V. c. 3. & L. 9. c. 33. Nicander in Theriac. V. 742. alique plures, imprimis Pythagorici, similitudine ista delectantur. Legi quoque potest Stobaeus Serm. CXIX. de Laude Mortis item Serm. CXXII. p. 612. item & Photius in Bibl. p. 486. seqq. & Hesychius, p. 845. conferatur quoque Steph. Monachus Var. Sac. T. II. p. 631. Bochartus, Hierozoic. P. II. L. 4. c. 10. p. 503. & Bartholinus Adversar. L. XLIV. c. 9. p. 2004. ut nihil de Philone, Theodoto aliisque, & patribus dicam, apud quos hac expressione nihil fere frequentius, prout id pluribus demonstrabo ad Dougl. Analect. Sac. P. II. Excurs. LXXXII. ubi & quaedam de hac phrasi. Dictum vero corpus fuit σκήνος sive Tabernaculum, quoniam est τῆς ψυχῆς οἰκητήριον, animae domicilium, ut Auctor Etymol. M. scite exponit, qua de re Plato, Epictetus & Seneca eleganter passim loquuti: Hinc & ipse Apostolus Paulus II. Cor. V. 1. 4. corpus nostrum οἶκόν ἐστι σκήνος ἐπίγειον, terrenum tabernaculi domicilium non pie minus quam venuste appellavit; similiter B. Petrus posterioris suae Epist. c. I. 14. corpus suum σκήνωμα significanter vocavit, & in Libro Sapient. IX. 15. corpus itidem vocatur σκήνος γεωδής, ad quem locum vide quae summus Grotius ex Euryso, sive Ecphante & Aristoxeno Pythagoricis, item Platone, & Lib. Cabal. Zoar allegavit T. I. Opp. Theol. p. 599. & T. II. Opp. Theol. p. 840. ad Cap. V. 2. Ep. ad Corinth. item in Notis ad L. I. de veritate Rel. Christ. §. XVI. p. 34. Videtur autem, ne quid dissimulem, σκήνος loco ἢ σώματος, usurpatum, Hebraismus esse, quem & τοῖς ἔξω innotuisse probabile est; sicut id in pluribus aliis phrasibus accidit, quod multis posset probari, si hic locus id pateretur. י enim aut י, quod Tabernaculum significat, (unde & Graecum σκήνος, quanquam & ab altero י, quod idem, non incommode deduci potest) pro corporis machina apud Hebraeos sumitur, conf. Grot. ad II. Ep. Petr. I. p. 1115. opp. Theol. Tom. II. descendit autem à rad. י sive י obtexit, obduxit, innexuit, adaptavit, compegit &c. unde Jobus c. X. artificiosissi-

mam sui corporis fabricam coram illius opifice & architecto, Deo, laudaturus, השכני inquit, בעצמות וגידים secundum LXX. Interpp. optime: ὁστῶς καὶ νεύροις με ἐνείρας, ubi scholion per συνέρρα-ψας verbum השכני signate exponit; conf. quoque antecedentt. V. V. 8. & 9. ubi bina verba ab eadem allegoria desumpta. Immo Genes. II. 22. verbum בנה aedificare de Deo ipso usurpatur, quando, בן את-הצלע לאשה aedificavit costam illam in feminam, quae LXX. Int. satis accurate ad Hebraea ita expresse- runt: ἀκαδόμησεν τὴν πλευρὰν εἰς γυναῖκα, h. e. ex costa sive latere Adami corpus feminae, ceu aedificium auguste & artificiose construxit, talem enim significatum verbum בנה ad- sciscere solet: unde illud Genes. XVI. 2. XXX. 3. Graeci Interpp. per τεκνοποιεῖν scitissime vertunt; videatur Grotius, Exod. I. p. 28. & ad Malach. III. p. 571. T. I. Opp. Theol. it. ad Epist. ad Hebr. p. 1018. T. II. Opp. Theol. inde & quod notes, ipsa vox בן Ben, sive Ven, filium, & בַּת Bath, fi- liam denotans, descendit, quasi, quod sint ex pa- rentibus exstruendi, ut recte exponit Schindlerus in Lexico pentaglotto: videatur J. Faes Comment. in Gyraldi Lib. de vario sepeliendi ritu p. 703. Opp. Gyraldi. T. I. Steph. Morin de Ling. Primaevio P. I. c. 13. p. 162. seqq. Guillet Comment. Heb. Ling. p. 132. seqq. Dav. Clericus Quaest. Sacr. XXII. p. 227. seqq. & Grotius ad Deut. XXV. p. 99. Omnium

autem maxime huc spectat, quod Salomo in Co- heleth c. XII. 3. ubi graphica illa corporis humani, morborumque senilium descriptio continetur, (quod caput luculento Commentario Medico-Philologico olim illustravimus, quem proxime συν Θεῷ edituri sumus) corpus nostrum expressis verbis בית sive do- mum, aedificium, οἰκίαν vertunt οἱ δ', elegantissime, vocavit; quicum & sequentes versus maxime com- parandi, nam illa allegoria ibidem Salomo pergit, fenestras, v. g. ostia & similia ad domum proprie pertinentia recensendo. Sic idem Salomo corpus elegantissime vocavit γῆ civitatem sive ornatam urbem, Cant. V. 7. vide Grot. in h. l. p. 268. Opp. Theol. Tom. I. Ex quibus jam satis patere arbitror, figuram istam σκῆνος pro corpore sumendo, non Graecis, sed potius Hebraeis originem suam debe- re. Venam autem, per quam universum hoc cor- poris Tabernaculum sustentari scribit hic Auctor Noster, posteriorem sive portae intelligit. Est enim ad priorem referri quoque & melius quidem, potest; respexit tamen potius, ut dixi, ad portam: quia nempe haec in innumeros ramos distributa, omnes fere partes in abdomine contentas pervaga- tur: inprimis, si & consideramus, venam umbili- calem, per quam ἀληθῶς τὸ ἔμ παιδίον σκῆνος τρέφεται, revera infantis corpusculum nutritur, pro venae portae sobole recte censer, quod tamen ita dictum sit, & ita intelligi debet, ut vena quoque cava subinde non penitus excludatur.

V. Τὸ δὲ ἥπαρ ὁμοιορυσμὴν μὲν ἔχει τοῖς ἄλλοις ἥπασι (14) αἰμαρρῶδες εἶδος δὲ ἐστὶ τῶν ἄλλων (15) ὑπερκορυφώσεως ἔχον δύο, αἷς καλέσσι πύλας, (16) ἐν δεξιῶις τόποις κεκλιμένης (17) ἀπὸ δὲ τετῆς, σκα- ῶνη φλέψ ἐπὶ κάτω νεφρῶν ἀποτείνεσθαι. (18)

V. Hepar autem convenientiam quidem habet cum aliis jecinoribus; sanguinolentius autem est prae aliis. Protuberantias habet duas, quas vocant portas, in dex- tris locis sitas. Ab hoc denique obliqua vena deorsum ad renes protenditur.

14. Nostra haec est Emendatio, quam & bona cum Lectoris, ut spes est, venia, ceu indubitata, in Textum adoptavimus. Antea in omnibus Codd. legebant ἅπανσι, omnibus, quod nec verum est, nec sensum conficit. Humanum enim Hepar, bovis quidem & ovis, & quorundam aliorum, non vero omnium animalium jecoribus simile esse, manifestum est; sensus vero quoque claudicat, si illud ἅπανσι retineamus. Quare, ut utrique malo mederemur, levissima mutatione τὸ ἅπανσι mutavi- mus in ἥπασι, sensu nunc claro & perspicuo: Im- mo verba sequentia τῶν ἄλλων hancce emendationem adeo efflagitare videbantur.

15. Et haec vera esse, testantur illa Aristotelis L. III. de Animal. part. c. 12. Τὸ δ' ἥπαρ αἰματικώτατον μετὰ τὴν καρδίαν τῶν σπλάγχων. Τὰ δὲ (ἥπατα) τῶν τετραπόδων, καὶ τῶν ὠτόκων, καὶ τῶν ἰχθύων, ἑνωχρὰ τῶν πλείων. κ. λ. Hepar viscerum post cor sanguinolentissimum: Quadrupedum autem, oviparorum, & piscium jecinora pallida sunt. Gemina his habet Auctor Introd. Anat. c. XVIII. Aretaeus L. II. c. 7. inprimis autem Galenus L. de Vf. part. IV, & de Pl. Pl. & Hipp. VI. &c. Sic Orbis

piscis hepar lucide-flavum observavit Bartholinus, Lampertae autem viride Bonfrerius, Veslingius alique, ut de aliis taceam; sunt enim animalium jecinora ut plurimum aut flava, aut pallida, aut vi- ridia. Quanquam ruborem istum in hepate huma- no accidentalem potius esse, quam substantialem, recte observarunt Gordonius, Veslingius, Bartho- linus, Malpighius alique: quia sanguineum il- lud concrementum sive περίγχυμα, ut vocant, facili negotio vel bacillo dequassari, vel levi coctu- ra separari possit, ita ut subalbida appareat hepatis moles aut subflava, quomodo in Embryonibus po- tissimum observatur, ut iidem viri nobilissimi ad- notarunt. Interim tamen, cum hepar triplice san- guine, venoso puta cavae & portae, & arterioso abundare, hincque in recens-natis inprimis, inten- se rubere animadverterent veteres; praetereaque ipsi magnum illud significationis munus deferrent, un- de Galeno, ceterisque Medicis praeis αἰματώσεως ὄργανον καὶ τῶν φλεβῶν ἀρχὴ communiter dicitur, quamvis purpura illa furtiva illud, post structas ipsi jam ab Aristotele infidias, auspicio exu- rit Bartholi- nus, contranitentibus frustra licet Riolo, Hofman- no,

no, Bilio, Zaffio, Deusingio aliisque,) factum est, ut Epar pro viscere αἱματικόν τῆς αἵματος ῥοῆς αἵμα, sanguinis affluentia ditissimo haberetur: Hinc ipse Noster Hippocrates L. de Vet. Med. XLI. illud τὸ θῆλός ἐστιν αἷμα, floridum & sanguineum, & Empedocles πολυαἷματον, multo sanguine turgidum appellabant, & quod maxime huc facit, Theophilus L. II. c. 11. de Fabr. corp. hepatis carnem ἐρυθρὰν, rubram, & Rufus Ephesius L. II. c. 6. ejus colorem ἐπὶ τὸ ἐρυθρὸν εἶναι, ad rubicundius accedere affirmant. Inde igitur & ipsum Hepatis nomen derivandum esse harioler, quamquam non sim Ἡπατοσκόπος. Videtur enim mihi Graecum Ἡπαρ, ex Hebr. חֶפֶר Hepar, erubuit, rubore perfusus, non incommode posse derivari: & quamvis proprie vox ista de rubore morali sive pudore usurpetur, nullum tamen est dubium, quin & ad ruborem naturalem trahi possit. Ceterum haec Etymologia longe videtur probabilior iis, quas apud Etymologos Graecos, item Becmannum, Vossium, & ipsum quoque Bartholinum legas. Quid enim magis coactum vel fingi potest, quam vocem Ἡπαρ à פֶּדֶר, peder, aut כָּבֶד Cabed, deducere, quod Becmannus fecit, ut taceam, τὸ פֶּדֶר adipem potius significare, & nunquam pro Hepate sumi, ut visum quidem Hieronymo atque Munstero: vide Bocharti Hierozoic. P. I. L. 2. c. 45. p. 472. ubi id pluribus demonstrat. Sed haec alterius sunt loci. Non possum tamen inficias ire ingeniosam esse Vossii patris etymologiam, qua Ἡπαρ dictum quasi putat ἥπαρ, sanguinis officina, scilicet ab ἥπαρ, facio, elaboro, & ἥπαρ, sanguis. Sed unde, quaeso, hepatis nomen prius derivabatur, quam sanguinis officina credi coepisset? Videtur ergo Vossii Etymologia ingeniosior, quam verior; nostra contra verior, quam ingeniosior, forte & aequae ingeniosa.

16. ὑπερχορῶσις supra pulmonum lobos vocaverat: hic autem binas illas protuberantias in fima Hepatis parte conspicuas, quas portas vocarunt, uti mox sequitur, ita appellavit: Ordinarie enim humanum jecur integrum, & in lobos discissum non est, ut quidem asserere voluerunt Herophilus, imo ipse Noster, quod mireris, Hippocrates Lib. de Ven. & Epid. Galenus & Plenius: etsi etiam quandoque id accidisse referunt Piccolhominus, Fernelius, Sylvius alique, de quibus, ut & de tota hac controversia fusius agit Hofmannus Comment. in Galen. de Us. part. L. IV. n. 208. 209. p. 65. sed de brutis, excepto bove & ove, illud notum est, quorum hepaticos lobos ordinarie pinnae aut fibras vocabant Haruspices, ut praeter multos alios videre est apud Lucanum, Pharfal. L. I. Senecam Thyeste, ut & Virgilium. Hebraei vocant חֶפֶת הַכֶּבֶד Jotheth Haccabed, λοβὸν enim τῆς ἥπατος vertunt eiδ, vulgo reddunt reticulum sive omentum, ut Hieronymus fecit, à cuius sententia non alienus est Nic. Fullerus L. V. Miscell. Sac. c. 14. p. 71. 72. quem tamen solide, ut solet, confutavit Bochartus Hierozoic. P. I. L. 2. c. 45. p. 498. docens, recte חֶפֶת

verti per lobum hepatis. Vide tamen, quae contra Bochartum monet Gussenius in Comment. Heb. Ling. p. 375. ubi vocem חֶפֶת per omentum, explicare contendit. Vocari tamen binas illas majores partes, dextram puta atque sinistram, in quas dirimitur à nonnullis humanum jecur, lobos posse, non inficior: & de his explicandus est Pollux in Onomast. L. II. c. 4. quando λοβὸν ἥπατος mentionem fecit. Habet & praeterea lobulum propriè sic dictum, qui in omentum exporrectus hepar à nimio sero evacuare creditus est à Spigelio, quamquam alios usus eidem assignavit Glissonius: de hoc lobo loquitur Hippocrates Noster L. de Ven. XIV. & Hesychius λοβὸν τὸ ἄκρον τῆς ἥπατος, ut alios taceam. Sunt itaque αἱ ὑπερχορῶσις hic carunculae illae ut sic dicam, protuberantes, quas πύλας sive portas jecinoris portas latine reddit Celsus V. 26. 2. vocarunt, ab importando scilicet per eas, ope cognominis venae, (de qua supra,) ad hepar seu κοῖνὸν quoddam ὅλα τῆς ζωῆς πίψας χωρεῖν, ut Galenus ait, omnem annonam corporis, pro sanguificatione, ut veterum credidit simplicitas; ita cum Lindano loquor. Hesychius vocem πύλας recte explicat per ἐκτροπὰς extuberantias, pro quo insulse ἐπιτροπὰς aut ἐπιστροφὰς legere mavult idem Hofmannus L. sup. c. Nescio autem, quis Salmastio persuaserit, ut πύλας quoque venarum per jecur discursus significare scriberet, Exercit. Plin. p. 91. nam locum potius, in quem mesenterii venae coibant, πύλας etiam vocatum fuisse, testatur Galenus, de Admin. Anat. L. VI. Recte vero idem adnotavit Hesychius, ut & Rufus Ephesius & post hos Calaubonus ad Capitolin. it. Hofmannus, portarum nomen istis protuberantiis ab haruspibus fuisse impositum. In jecinore enim antiquissimis temporibus extorum fuisse caput, adnotavit Plinius L. XI. c. 37. Cicero, L. II. de divin. Lucanus, Pharfal. L. I. 627. & pluribus ad Suetonium Schildius, ut & Grotius ad Ezech. XXI. 21. p. 426. T. I. Opp. Theol. immo Plato hepar μαντικῆς χάριν, sive haruspinae gratia fuisse natum, asserit in Timaeo. Inde & nomina τῶν σημείων, ut vocabant, v. g. mensae, τραπίζης (qua voce, ut id obiter moneam, circumscribunt R. Selomo, Kimchius, & Mardocheus in Concordantiis vocem חֶפֶת Exod. XXIX. 13. de qua supra, scribeses טַרְפֵּס Trapeza, vide Fullerum loc. sup. all. imprimis autem Bochartum Hierozoic. P. I. L. 2. c. 45. pag. 501.) Gladii, unguis, &c. quae eodem Rufo Auctore, L. I. c. 28. aruspices quibusdam hepatis partibus indiderunt, petenda sunt; etsi Galenus L. IV. de Us. part. in ea versatur opinione, hoc nomen à viro quodam veteri δαῖς περὶ φύσιν, quemque hinc merito Hippocrates, & universus Asclepiadarum chorus essent sequuti, illis hepatis eminentis fuisse impositum, quod tamen recte confutat Hofmannus. Aliud vero sunt πύλαι in hepate; aliud πύλας, quae nequam ut fieri solet, inter se sunt confundenda. πύλαι enim ἡ μέση τῆς ἥπατος ἐρυθρὰ παρὰ τοῖς θύταις, medium hepatis (patium ab extispicibus dictum est, ver-

ba sunt Scholiastae ad Demosthenis Orat. de Corona : vocarunt nempe *πυλαία* rimam illam five finem, per quem vena umbilicalis profertur, quem & suo vocabulo haruspices eosdem *fissum hepatis* vocasse, ad Plinium notavit Scaliger, & Salmasius L. sup. cit. qui tamen in eo iterum errat, quod *πύλην* illam *ευρυχωρίαν μέσσην* dictam putet, quam *πυλαίαν* scribere debuisset; sicut in eo, quod *τείχεα* eandem à Galeno vocatam fuisse scribat, quum *ἔρινα* debuisset: nam licet aliquos priore quoque modo scripsisse adnotet Galenus, erat tamen *ἑρῖξ* plane aliud ac *ἔριξ*, & in hepatoscopia ita vocabatur apparitio venulae angustae perquam nigrae in dextro hepatis loco notabilis, ut ipse in Glossis docet Galenus, ut taceam, locum ipsum mutilum à Salmasio fuisse allegatum. Hanc igitur, ut redeam, unde digressus, vocem *πυλαία*, pro *πύλαι*, quae apud Hesychium legitur, substituendam censet Meursius Att. Lect. L. IV. c. 3. p. 172. ubi & ipsum hunc Hippocratis locum allegavit. Verum hoc sine necessitate facit & sine ratione: Hesychium enim ibi non tam de *πυλαία*, quam de *πύλαις* five portis jecoris, loquitur, aperte evincunt ea, quod *πύλας* per *ἐκτροπὰς* explicet, ut supra jam memini; quod de *πυλαία* dicere non poterat, quippe quae potius *τὴν μέσσην τὴν ἥπατος ευρυχωρίαν* indicat, ut flexanimi Demosthenis enarrator supra nos edocebat.

17. Si hunc locum à nemine interpretum rite explicatum fuisse dixero, εἰδὲ ὀγκώδεις τι dixero, εἰδὲ μυθώδεις. Omnes enim, quotquot vidi, locum de situ hepatis interpretantur, qui ordinarie (nam & nonnunquam, rarius licet, contrarium observarunt Gemma, Patinus, Spererius, Bartholinus, & jam ante Auctor Isagog. Anat. c. 18. nec non Aristoteles, qui istum situm inter τὰ τέτρατα numerabant) in dextro, ut & veteribus est notatum & hypochondrio. Sed de hoc Hippocrati nostro sermonem non esse, ex ipso contextu satis, puto, liquet; loquitur enim ibi non de universa hepatis substantia, de qua jam in antecedentibus aliqua dixerat; sed potius de *πύλαις* five portis, quas in dextris locis sitas esse perhibet. Quum vero ipsum hepatis corpus in dextris locis situm sit, ut modo dictum; quid, rogo, de pusillis istis eminentiis id tantum referre opus erat? Si enim dixisset: ἐν μὲν τοῖς δεξιῶς καὶ τῇ ἥπαρ, quomodo Aristoteles, Galenus, Rufus Ephesius & Auctor Introduct. loquuntur, tunc omnia plana forent, quae jam nobis crucem figunt.

VI. Νεφροὶ δὲ ὁμοιορυσμοί, τὴν χροίην δὲ ἀναλίσκωσι μήλοισιν (19) ἀπὸ δὲ τεσσάρων ὀχετοῦ σκαληνοειδῆς (20) ἀκρὴν κορυφὴν κύβου καὶ κῆνται. (21)

VII. Κύστις δὲ νευρώδης, ὄλη, καὶ μεγάλη. (22) ἐκαστὴ κύστις μεταχρῆ εἰσω πέφυκε. (23) καὶ πὰρ μὲν ἐξ ἀναμέσων ἐντὸς φύσις ἐκασμῆθη. (24)

Lindanus igitur, qua est *ὑποχλῆ* scilicet, locum optime se habere autumat, modo τῷ ἐν τόποις, loco legatur ἐν λόβοις, quam tamen egregiam E-mendationem in ipsum textum recipere, quod miror, ausus non est. Sed quid quaeso eadem Hippocratem nostrum juvit, quam ut eum erroris istius studio reum faceret, cujus jam antea erat, ut modo observatum, jecur humanum nempe in lobos esse discriminatum? Jam ergo videamus, num nos de locis his dextris aliquanto dexterius sententiam ferre valeamus. Nimirum *δεξιὸς τόπος*, aequae ac *πύλαι*, in antecedentibus, est terminus, ut ita dicam, technicus, ex vetustissima Extispicum Schola petitus & ab Hippocrate conservatus, & significat locum illum, ubi chylum ad receptaculum in hepate, per venam portae, aut ramos, venas nempe mesaraicas, tamquam per portas, quamvis Scaecae, deferri crediderunt Veteres, qui locus illuc est, ubi eminentias portas dictas fuisse, supra modo observabamus, adeo, ut *δεξιὸς* hic non tam dexter sit; quam potius receptorius, acceptorius, scilicet à *δέχομαι*, ut ita loqui fas sit. Recte ergo (ex sua certe opinione) adleruit Noster, *πύλας ἐν δεξιῶς τόποις καί μιν*, portas in istis locis esse sitas, quae succum chylosum, aut ut malunt, chymosum recipiant, & ad hepatis receptaculum deponant. Egregium vero eorum, quae haecenus dixi, testimonium est apud Hesychium: *Δεξις* inquit hic, τῶν ἐν τῇ ἥπατι μερῶν πρὸς τοῖς θύταις καλυμένη δαχὴ, pro quo Auctor. Anat. & Gal. habent *ὑποδοχὴν*: à qua rituali voce *Δεξις*, nostrum *δεξιὸν* esse deducendum, nullus profecto ambigo; sicuti & Democritum *φλέβας δεξαμένας* quod scilicet sanguinem suscipiant, dixisse constat. Sed levia haec sunt; à nemine tamen, quod sciam, observata.

18. Per *σκαληνὴν φλέβα* five venam obliquam intelligit Noster truncum venae cavae descendentem, quod & observatum fuit Lindano; inprimis vero venas emulgentes dictas, quas magna illa mater in utrumque renem brevi & obliquo ductu inserit; inde *σκαληνὴν* vocat, h. e. obliquam. Hesychius *σκαληνὴν* exponit *σκόλιον*, *πολύγωνον*, Galenus Lib. de Ven. & Arter. Dissect. & alibi, eandem *λοξήν* appellat, quod idem. Emulgentes autem venas intellexisse Nostrem, testantur manifeste verba in Textu mox sequentia: *ἐπὶ τὰ κάτω νεφρῶν ἀποτείνεσθαι*.

VI. Renes aequali inter se figura sunt, colorem autem similes pomis. Ab his aquaeductus obliqui in summum vesicae verticem incumbunt.

VII. Vesica, qua nervosa, constrictiva est & expansiva: qualibet autem vesicae parte capacitas intus efformata est. Et has quidem sex partes in medio occulta Natura affabre fecit.

19. Ita hunc locum esse interpungendum, ut scimus, recte jam monuit illustris Menagius ad Diog. Laërtium L. IX. Segm. 47. p. 415. In omnibus fere Editionibus Graecis sic concipitur: *Νεφροὶ ὁμοιοευσμοὶ, τὴν χροίην δὲ ἀναλίγκιοι μήλοισιν*: quae sicut perperam scripta; ita & perperam versa sunt ab Cornario, quod non mirum, sed &, quod mirum, à Foëtio quoque, & à Lindano ita etiam temere recepta: *Renes colore confimiles, malorum speciem prae se ferunt*; quam utriusque versionem merito improbat is, quem laudavi Menagius. Ita enim distinguenda potius verba: *Νεφροὶ ὁμοιοευσμοὶ, τὴν χροίην δὲ ἀναλίγκιοι μήλοισιν*, tumque vertenda: *Renes aequali inter se figura sunt, colorem autem pomis similes*, ut ita jam vertere liceat. Quae enim *poma* hic intellexerit Noster, quibus *renes* colore rubello adeo respondeant, dictu est perquam difficile. *Davius hic non Oedipus sum*, inquit Lindanus, Med. Phys. c. V. Art. VII. §. 131. *Quis enim in tanta malorum varietate, quae tellus quaeque, quae ars profert, vel ausit, vel possit dicere, ad quae ille respexerit? ex nostratibus tamen Orthomastius & Amerinis* (ita nam Stapelius noster Comment. ad Theophrast. L. IV. Hist. de Plant. cap. VI. p. 399. quae vulgus *ra-bauwen* & *Paradys-appels*.) *color φακῶδης καὶ ποσῶς ὑπόκροτος*, lenteus, & quodammodo subcinereus est, quem Rufus L. II. c. 12. renibus assignat: Intelligibilis vero Aretaeus L. II. de Sign. Chron. c. 3. *Νεφροὶ χροίην δὲ ἐρυθρότεροι, ὁσὸν τι ἦπαρ μᾶλλον*, colore rubicundiores aliquanto magis, quam *hepar*. Haec ille scite non minus, quam vere. Th. igitur Bartholinus, accerrimi aequae iudicii ac foecundissimi ingenii vir, quum Hippocratem pomis lussisse, iisdemque nobis illussisse non crederet, aliam longe viam est ingressus, ita nimirum locum explicando Anat. Ref. L. I. c. 17. *Hippocrates renes pomis comparavit, sine dubio latioribus & rubris; nisi per μήλοισιν similitudinem quoque cum aliis brutis indigitaverit*. Quo nihil sane aptius & ingeniosius fingi poterat aut excogitari. Notum enim est, Hippocratem, ubi Anatomicum agit, in id potissimum incumbere, quo tam convenientiam, quam discrepantiam hominum inter & animantium viscera sedulo adnotet, uti vel ex ipso hoc Libello, ubi de Corde, Hepate, &c. sermo, item Lib. de Venis VI. Epidem. & aliunde luculenter patet: inexpugnabili sane argumento, eum vel humana dissecuisse cadavera, quod alibi contra Cl. Dan. Clericum frustra contrarium propugnantem planius pleniusque sum demonstraturus. *Μῆλον* itaque, quum & *potum*, & *animal quadrupes* in genere, in specie vero *ovem* & *capram*, ut & *bovem* (sic enim Simonides taurum Dorice *μᾶλον* dixit) significet, ut clare Hesychius; *Μῆλα κοινῶς μὲν πάντα τὰ τετράποδα, κατ' ἐπικράτειαν δὲ τὰ πρόβατα καὶ αἰγας*, quicum concordat Eustathius, ad Il. A. p. 828. adde & Soping. ad Hesychium p. 785. it Spanhemium ad Callimachum p. 78. in quo significatu haec vox ex Arabico *لحم* *Mal*, *armentum*, certo certius descendit, prout recte observavit summus vir Bochartus, Chan. L. I. c. 27. p. 578. non autem à

μέλομαι, aut *τῶ τὸν μῆλον κερπὸν ἴδισθαι*, ut pro more veteres nugantur Grammatici: posterior autem sensus huic nostro loco concinnius longe conveniat, prae priore illo ludicro & caduco de pomis petito; praeterea quoque re ipsa humani renes cum horum animantium renibus colorem obscure rubentem conspirent, ut & notatum est Aristoteli; ita, ac voluit Bartholinus, hunc locum esse explicandum, nullum mihi relinquitur dubium, praeter hoc unum, quod tum cum Bartholino non sit legendum *μήλοισιν*; sed potius *τετράποδοις*, quae voce saepissime usus est Noster, adnotante in Oeconomia Foëtio. Prius enim est à substantivo *μῆλον*, quod hic locum habere nequit: renes enim humani non ipsis animalibus, (quae *Μῆλα* sunt) sed animalium renibus similes sunt; posterius vero est ab *adjectivo μήλειον*, *ovinum*, *caprinum* & in genere, quod ad animalia spectat, aut de iis dici potest; & hoc huc apprimè facit. Interea tamen, quum & pristina illa Lectio *μήλοισιν*, quae omnes jam occupavit libros, aliquem fundat sensum; novam illam nostram, aut, si mavis, Bartholinianam, quamvis probabilioris & aptioris, in Textum recipere ausi non sumus.

20. *Σκαληνοειδῆς ὀχετοὶ* sunt bini illi canales ureteres vulgò dicti, qui ex renibus obliquo ductu prodeuntes, ac liquorem excrementitium vehentes vesicae lateribus inferuntur. Significanter eos *ὀχετὸς* five *aqueductus* appellat: *ὀχετὸς* enim Hesychio & Suida Auctoribus, est *σαλὴν*, aut, ut Salmasius ad Stephan. Byzant. recte ex Suida emendat, *σωλὴν*, *ἀγωγὴς*, *ρύαξ*, *ὕδραγωγέιον*. κ. λ. plura de hac voce nostro Hippocrati, notante Foëtio, perquam familiari colligit Th. Bartholinus in de *Hepate defuncto* p. 576. Loco *τῶ ὀχετοὶ*, Aristoteles, Rufus Ephesius, Theophilus, Auctor Introduct. Anat. & Pollux *πόροι* five *meatus* ponunt, ita enim apud postremum pro corrupto *τόποι* legendum bene monet Lindanus, qui plura de hac re: Aretaeus autem sequutus est, ut solet, nostrum Hippocratem, qui tamen ipse L. de Ven. VIII. canales hos uriniferos antiquo loquendi more, *φλέβας* five *venas* appellavit; quod etiam imitator Hippocratis Celsus L. IV. c. 1. per *venas colore albas ad vesicam latas* apprimè expresse; sequutus & in hoc Noster Aristoteles, adnotante Laurentio. *Σκαληνοειδῆς* quid sit, supra jam explicatum. Cur autem ureteres sint obliqui, tortuosi & *Σιγμοειδῆς*, omnium optime exponit Theophilus L. II. c. 12. de corp. Hum. Fabr. & de Urin. c. 11. scilicet, *ὥστε μὴ παλινδεσμεῖν τὸ ὕρον εἰς τὰ ὀπίσω*, ne urina, inflata v. g. vesica, renes versus regurgitet, quae de re plura apud Anatomicos. Videtur ceterum Hesychius hunc Hippocratis locum indigitasse, allegando alicubi *τῶς σκαληνοῦς ὀχετὸς*, quanquam, eos satis frigide & generatim per *ἐντερος* five *intestina* explicuit.

21. Ita legunt Codd. Vett. quod & retinuit recte Foësius; at Lindanus de suo penu addit *εἰς*, *εἰς κορυφὴν κῆνται*, sine urgente necessitate, nam est *ellipsis*

lipfis τὴ κατὰ ἡ ἐπὶ, quales multae in Hippocrate. *Κεῖσθαι* hic idem est ac *propendere* aut *dependere*, prout Homero, Apollonio, & aliis poetis in usu: poetarum enim sequitur Noster, ut supra & alibi dictum. Rufus Ephesius binis in locis δύο scribit *πύρι κατὰ κορυφὴν κύστιος συνάπτει*, quae propius ad hunc nostrum locum accedunt. Ne quid tamen dissimulem, concinnius hic legeretur *τείνεται* pro *κείται*, servata illa Lindani additione: hac enim voce frequenter utitur Hippocrates, ubi venarum & nervorum processus describit. hic modo dixit: *ἡ σκαληνὴ φλέψ ἀποτείνουσα*; & in Lib. IV. de Morb. IX. *πολλὰ φλέβες εἰς ἀποτείνονται*, it. seq. X. *Παχέαι φλέβες τείνουν*, imprimis autem huc spectat §. XXVIII. dicti Libri: *ἔχη παιδίον τὰς φλέβας, τὰς ἀπὸ κοιλίης ἐς τὴν κύστιν τενύσας*: omitto plura congerere, quae in Libb. de Ven. Nat. Hom. & alibi in hunc sensum occurrunt, ut & nihil de Aristotele & Galeno dicam, vide tamen Anonym. Isagog. Anat. c. XV. Et ita vel in hoc nostro loco legit jam olim Cornarius, ut ex versione ejus patet, quae in hunc modum: *canales obliqui in summum vesicae apicem tendunt*: etsi vox *triangulares*, quam addit, nec in textu adest; nec in versione adesse debet, licet, id ceterum ex Borrichii observatione verum sit. Per *ἀκρὴν* autem *κορυφὴν* intelligit regionem prope vesicae collum aut verticem; in quo Hippocratem sequitur, ut solet, Rufus Ephesius, cujus locum supra adscripsimus. Theophilus autem pro eo *τράχηλον κύστιος* ponit sive collum: Aretaeus vero *ὤμους τῆς κύστιος* vesicae humeros satis eleganter, & exacte quae & notata Lindano. Epitheton denique *ἀκρὴ* hic non *παρίσκει*, ut videtur; sed nittitur auctoritate ipsius Homeri Il. N. 12. & alibi, Diodori Siculi, L. XVII. &c. Herodoti, Arati & Dicaearchi in fragmento descriptionis montis Pelii, alios ut taceam: adeo, ut expungendum non videatur, uti cuidam animus fuit.

22. Ita interpungendum atque vertendum esse hunc locum, prout à nobis factum, certum est: res enim ipsa id postulat, quod tamen huc usque nemini observatum. Nam vesicam totam esse nervosam, ut vulgo vertitur, à veritate oppido alienum, quod nec veteres latuit, ut ex Celso, Galeno, Theophilo reliisque veteribus Medicis perspicue patet. Nimirum *ἔλον* significat quidem *totum*, *integrum*, & ipsi nostro Hippocrati saepissime ita sumitur: sed significat etiam *ἔλον contractum*, *constrictum*, *complicatum*: Hesychius *ἔλος, συνσφραμμένος*, & Plutarchus Lib. de Garrulitate p. 338. *ἔλα* & *συνσφραμμένον* pro synonymis habet. Videatur autem imprimis Graecus Interpres ad Aristophanis Ranas Act. IV. Sc. 2. quo etiam annotante, tum vox *ἔλον* à verbo *εἶλεν*, aut *εἰλεῖν*, *coarctare*, *complicare*, & in *angustum cogere*, derivanda est. Hunc igitur sensum vox *ἔλα*, & hic vel maxime habet, in oppositione videlicet τὴ sequentis *μεγάλη*: etsi boni Interpretes primum illum obvium, ut saepius, infelicitate arripuerunt. Vesicam enim ita esse naturam comparatam, ut sese ad capiendam affluen-

tem urinam dilatare atque extendere; eadem vero exonerata, iterum constringere & corrugare possit, nemo est Anatomicorum qui nesciat. Recte ergo, mea quidem opinione, verba Graeca: *κύστις δὲ πυρᾶδης, ἔλα καὶ μεγάλη* vertimus; *vesica, nervosa existens, sive dum ex nervis compacta est, constrictiva simul est ac expansiva, sive constringi aequae potest ac dilatari*.

23. Hic iterum errarunt & Interpretes & Commentatores; sed errore quasi necessario, & quod ajunt, invincibili, depravatis quippe codicibus usi. *Ἐκάσθαι* enim omnia legere Exemplaria MSSa adnotavit Foësius, qui hujus loco mallet *ἐκάσσει*, ut scilicet *ἐκάσσει κύστις* sit *passim* & *ubique* per totam *vesicam*: sed iterum fluctuat, pro more, atque etiam *ἐκάστω κύστις*, h. e. *longissime distenta vesica*, legi posse asserit: reliqua ibi legi possunt, nos enim nihil juvant. Sed neutra harum Emendationum mihi placet, quia sensum aut nullum, aut durum admodum efficit; etsi priorem *ἐκάσσει* puta, temere, pro more, in textum intulit Lindanus. Nam vesicam capacem esse & amplam, jam Auctor dixerat: abhorret ergo à brevitate Hippocrati consueta, crambem bis coquere. Ego mihi veram Lectionem reperisse videor. Scribit enim idem Foësius, quosdam Codd. antiquos habere hoc loco *ἐκάσει*, ex quo, quum hic nihil plane valeat, facili mutatione exculpo: *ἐγκὰς δὲ κύστιος*, h. e. *in imo*, sive *profundo vesicae*, *ἐγκὰς* enim Galeno in Glossis est: *ὡ βάθει*, unde & sequens in nostro textu *εἶσω* pro interpretamento hujus ignotioris *ἐγκὰς* habendum esse, asserere vix dubitem. Hanc igitur vocem antiquam & solam fere Hippocraticam multis in locis divino Seni efferestituendam, optime observat in Oeconomia Foësius. In *imo* autem *vesicae* hic est in cervice aut collo vesicae: ampla enim ejus pars fundus vulgo dicta, quae peritonaeo, & intervenientibus Uracho & arteriis umbilicalibus sursum versus umbilico alligatur, revera cervix potius dici debet aut caput: altera autem angustior & carnosior, quae deorsum in urethram hiat, & vulgo collum aut cervix audit, meliore sane jure fundus & imum vesicae nuncupari debet. Haec tantisper notentur: Nodus enim adhuc solvendus restat in voce *μετοχή*, quam idem ac *μέγεθος*, sive perceptionem hic significare autumat falso Foësius, qui eundem errorem in versionem transplantavit suam: Cerebro tamen commotior fuit Calvus, quando *μετοχὴν* legeret, & *medium locum* verteret, quod huc plane nihil facit. Dicam igitur verbo: *Μετοχὴ* hic est *ambitus*, *septum*, *circulus*, *orbiculus*; sic enim Suidas: *μετοχὴ, ὁ περιέβολος*; & significat musculum constrictivum, vesicae cervicem oblique ambientem, Iphincterem dictum, cujus ministerio urinae fluxui catarrhacta ponitur, ne nobis insciis, effluere possit, quod Salomonem in Coheleth XII. 6. per *כד על הכבוע* per *Hydriam super fontem*, expressisse putat Grotius ad illum loc. p. 266. Vertendum igitur posthac praesens erit tmema in ima autem vesicae parte sive cervice orbiculus quidam sive orbicularis & ambiens quidam

quidam five orbicularis & ambiens quidam musculus à natura formatus est. Vix enim credere par est, Hippocratem, vesicae mentionem quum faceret, musculi hujus constrictorii, qui magnam utique merebatur admirationem, plane fuisse oblitum. Nihilominus tamen, quia haec nostra emendatio & Lectio nimium recedere videtur à recepta, eam, quamvis prioribus multis parafrasis praeferebam, in textum adscribere subdubitavimus.

24. Sex illae partes hic, ceu in ἀνακισθαλαίωσι quadam repetitae sunt: aspera arteria, pulmo, cor, hepar, renes, & denique vesica urinaria. Sequens ἐντὸς non construendum est cum verbo ἐκοσμήθη, ut omnes fecerunt Interpretes; quid enim opus erat adnotare, haec viscera intus fuisse condita, quum id nemini non jamjam constaret? Sed cum ipsa potius voce φύσις, ita ut sit ἡ ἐντὸς φύσις, Natura occulta, teste & sine strepitu quodam sua munia in corpore obiens: atque idem hic est, quod φύσις ἀφανής, ut Noster loquitur L. I. de Diaet. XXXVII. aut, ut Auctor Libelli de Natura Hominis, Democritus vulgo creditus, id expresse: ἡ ἀσώματος ἐν

μυχοῖς φύσις, quod inepte, ut reliqua omnia, explicuit Homo, cui e nil-dignis nugis laurus nascitur. De tacita hac & nobis abstrusa Naturae in corporibus animatis Operatione & Mechanismo plura notatu digna leguntur apud Galenum Lib. II. & XVII. de Us. part. L. IX. de Pl. Hipp. & Pl. & locis aliis bene multis, alibi jam à me productis: meretur tamen prae aliis locus hic ex Lib. VI. de Us. part. circa finem legi, qui inprimis huc spectat: ἡ φύσις ἀνευ θορύβου καὶ βοῆς αὐτοῖς τοῖς ἔργοις δαίτυσι τὴν δικαιοσύνην. Ceterum quid sit φύσις, quid διακοσμεῖν & κοσμεῖν, it. quid δικαιοσύνη, uberius explicui in ea, quam pro Hippocrate Atheismi falso accusato, applaudentibus viris magnis & illustribus; ringentibus vero pusillis & obscuris, ante aliquot annos edidi Apologia, ubi, cui volupe, legat. Hic ἐκοσμήθη idem est, ac quod in hujus Libelli calce διατάξατο, cujus loco Galenus saepissime, Lib. inprimis de Us. part. & Administ. Anat. ἐδημιούργησε ponit, item περισκεύασε, διέπλασε & ἐμεχάνησε, quo & delectatur in Libris φυσικῶν aliquoties Aristoteles.

VIII. Οἰσοφάγος δὲ (25) ἀπὸ γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιεῖται, ἐς κοιλίην τελευτᾷ, ὅν δὲ καὶ ἐπὶ σηπτικῆς κοιλίης, σόμαχον καλέουσιν. (26)

IX. Πρὸς δὲ ἀκάνθης ὀπίθεν ἤπαρ Φρένες περύκασιν. (27)

X. Ἐκ δὲ πλευρῆς νόθης, λέγν δὲ ἀεστερῆς, σπλὴν ἀρξάμεν ἐκτέταται, ὁμοιορυσμός ἔχνη ποδός. (28)

25. Nihil in his obscuritatis: Oesophagum enim canalem illum cibivorum cibi-ferumque vocari, vel lippis & tonsoribus notum. Errat autem Galenus quando Hippocrati Oesophagum γαστρός σόμαχον, five ventriculi orificium dici, in Glossis asserit, quod & notatum Mercuriali. Gulam enim five canalem istum cibarium à principio suo h. e. linguae radicibus, eo usque, ubi ventriculo inferitur, vocari potius Oesophagum, post insertionem vero σόμαχον, five osculum ventriculi, clare hic pronunciat Hippocrates. Κοιλία nempe, aut γαστήρ, aut νῆδος ipse est ventriculus, five aqualiculus, in quo alimenta digeruntur: οἰσοφάγος autem fistula illa oblonga, per quam alimenta in illum feruntur; hic, ubi πνεύματι ipsius ventriculi orificio sinistro, nomen mutat, & vocatur tunc σόμαχος, vulgo etiam περδία: σόμαχος enim τὸ τῆς κοιλίας σόμα five ventriculi orificium, ut exponit Hesychius & pluribus Galenus v. g. L. II. de Loc. affect. Comment. ad Aph. 56. L. VII. Comment. I. in Lib. de Rat. Vict. in morb. & aliis locis à Foësius solerter adnotatis: quanquam καταχευτικῶς postea & aliis aperturis aut orificiis id nomen fuit impositum, inprimis ab ipso

VIII. Gula porro à lingua initium faciens, in ventriculum desinit, quam etiam ubi in concoquentem ventriculum hiat, os ventriculi apte appellant.

IX. Ad spinam retro Hepar septum transversum formatum est.

X. Ex latere spurio, hoc est sinistro, lien initium capiens extenditur, figuram plantae pedis similem repraesentans.

nostro Hippocrate, apud quem v. g. σόμαχος κύσιος, μήτρας, αἰδοῖς, ὑπερίων, & alia Foësius adnotata. Haec est differentia, quam tamen ipsi veteres non semper observarunt, ita ut stomachus nunc gula, nunc ipse ventriculus fuerit vocatus, ut ex Galeni L. V. de Loc. affect. c. 4. (non 5. ut falso allegat Mercurialis) & aliunde constat; contra quem tamen varia disputat Mercurialis L. infra allegando. Notandum vero, vocem Oesophagum nostro Hippocrati esse δισειρημένην, five bis tantum dictam. Hic nempe & in Lib. de Loc. in Hom. Videatur de his Mercurialis Var. Lect. L. I. c. 1. Marfil Cagnatus, Var. Obs. L. I. c. 15. Hofmannus, in L. IV. Gal. de VS. part. n. 188. p. 59. & Foësius, in Oeconomia, vocibus οἰσοφάγος, & σόμαχος.

26. Ita in omnibus Codd. legi testatur Foësius; et si asteriscum suo exemplari praefixit Aldus. Cornarius tamen, cui cornea fibra, mavult ἐπισήμως, & vertit significanter: sed significanter nugae agit, observante quoque Foësius. Salva enim antiqua est lectio, & hinc ne quidquam sollicitanda. Scilicet ἡ σηπτικὴ (aut, ut etiam conjunctim legi posset ἐπισηπτικὴ,) κοιλίη ventriculus est coëctorius, aut, ut

Mercurialis non inepte vertit, *putrefactorius*, cuius cibos digerendi actionem in σήψει quadam sive putrefactione constare crediderunt Veteres, ut ex Plutarchi Quaest. II. de Caus. phys. (non L. II. ut allegat Foësius) constat, ubi ἡ δὲ σήψις, inquit, εἶναι σήψις. Eorum ergo stylo & hic Noster loquutus est Hippocrates & alibi. hic ipsi Lib. de Affect. XXV. σιτία ἄσηπτα, cibi sunt crudi & nondum digesti, sive ἄπειπτοι, *incocti*, ut ipse exponit L. III. de Diet. §. XXIV. ubi & seqq. XXV. & XXVI. διαχόμενα ἄσηπτον & σιτηπῆς, excrementum est non putrefactum, h. e. non ex recrementis digesti cibi constans, & putrefactum, h. e. ex cibi digesti & concocti residuis comparatum. Omnium autem optime de hoc antiquo loquendi more Galenus agit Hypomnem. VI. Aph. I. p. 302. ubi hos ipsos locos à nobis haftenus citatos allegat & explicat: Δηλονότι, sunt ejus verba, παλαιὰ τις ἢ συνήθεια τῶτοις τοῖς ἀνθρώποις, ἄσηπτα καλεῖν, ἅπερ ἡμεῖς ἄπειπτα λέγομεν: scilicet vetus quaedam erat consuetudo his viris (de quibus in antecedentibus, v. g. Proxagorae, Erasistrato, Polybio &c.) impure tractata ea vocare, quae nos indecocta dicimus. Plura de hac re in suis Hippocratis adnotationibus monstrasse se asserit Mercurialis, l. Sup. c. ubi & quaedam ex Aristotele & Plutarcho allegat. Videatur & ipse Foësius in Oeconomia, vocibus: ἄσηπτα, p. 63. & σήπειν, p. 339. item & Casaubonus, Animadvers. in Athen. L. VII. c. 1. p. 475.

27. Ἀκάνθαν aut Ἀκάνθην dorsi spinam Hippocrati vocari, negabat olim diffusae lectionis Senex Casp. Hofmannus II. Instit. Med. LXVII, 4. cuius tamen ἀβλεψίαν merito retudit Lindanus Med. Phys. c. XIV. art. I. p. 585. clarissimum locum in contrarium allegans ex t. XLII. Lib. de Articulis: cui ego praeter hunc nostrum, qui sub manibus, addo sex alios ex Lib. de Ven. & unum ex Lib. de Nat. Off. ut alios taceam etiam in Libb. Epidem. ni fallor, occurrentes. Quid? quod ipse Galenus ἀκάνθας vertebrarum processus, totamque simul spinam Ἀκάνθαν vocari docet III. Artic. 29, 2. prout idem Hofmannus tacite Heautontimorumenus, observat Comment. in L. XII. Galen. de VS. part. c.

XI. Κοιλίη δὲ ἥπατι πρὸςκειμένη, κατ' ἐνώνυμον μέρος, ὁλομένη ἐς νευρώδης (29)

XII. Ἀπὸ δὲ κοιλίης πέφυκεν ἔντερον ὁμοιορυσμὸν, μικρὸν, πηχέων ὡς ἑλαιοσπονδύλῳ, ἐλικηδὸν ἐν κόλποις ἐνεκλόμενον, (30) ὃ καλέουσι ἔνιοι κῶλον, διὲς πρὸς τὴν τροφὴν γίνεται.

XIII. Ἀπὸ δὲ κῶλης πέφυκε ἀρχὸς λοίοθιος, σάρκα πολυπληθέα ἔχων, ἐς ἄκρον δακτυλίας (31) τελευτῶν. Τὰ δὲ ἄλλα ἡ φύσις διατάξατο.

15. n. 921. p. 288. Verum nec Hippocrates solum hac voce utitur; sed & Herodotus & Euripides, uterque Nostro ἰσόχρονος, immo quodammodo χρονιότερος: hic quidem Troadibus, v. 117.

Καὶ διαδύναμι νῶτον, ἄκανθαν
Τῆς ἀμφότερης τοῖς μελέων.

Ille vero Melpomene sive Musa quarta p. 244. Edit. recentiss. Gronov. loquens de quinquaginta illis juvenibus, quos strangulatos totidemque equis exenteratis paleaque suffertis & iterum consutis impositos circa regum suorum tumbas in singularem splendorem, sed detestando ritu, collocabant multivagi Scythae. Etsi id Hofmanno lubens concedo, ἑαχὼν loco τὴν ἄκανθαν & Hippocrati & Aristoteli, reliquisque veteribus esse in frequentiore usu.

28. ποδός, supple ἀνθρώπινος, pedis humani, quod significanter additum à Rufo Ephesio L. II. c. 7. (dubium enim erat cuius? ut notat Lindanus, Med. Phys. c. 5. Art. II. p. 68.) haud dubie ad hunc locum respiciente. Καίτοι, inquit, ὁ σπλὴν καὶ τὸ ἐνώνυμον ὑποκρίνεται περιεκτενόμενον (ita enim legendum loco τὴν περιεκτενόμενον recte jam vidit Lindanus) ἐπὶ μῆκος ἀνθρώπινον ἔχει. Quem locum, quum in mendo cubet, hac occasione ut emendem, par est. Sensem enim hiare viderat jam Lindanus, acutior hac in parte Foësius, qui in notis hunc allegans locum, mendi suspicionem indicat nullam: Verum uti infelix admodum est Criticus: ita & hunc locum pari felicitate adortus est. Intrudit enim temerario animi vocem ὁμοιορυσμός, legendo: περιεκτενόμενος ἐπὶ μῆκος, ὁμοιορυσμός ἀνθρώπινον ἔχει. Mihi autem longe certius legendum videtur: περιεκτενόμενος ἐπὶ μῆκος, ἐπεικώς ἀνθρώπινον ἔχει; ita ut propter ὁμοφωνίαν vocum ἐπὶ μῆκος, & ἐπεικώς, posterius sit inter scribendum, ut fieri solet omissum: Immo, quando verbum περιεκτενόμενον jam per se in longum protendi significet; loco ἐπὶ μῆκος, ἐπεικώς potius legendum esse plane videtur. Tum vero sensus clarus: splen secundum longitudinem extensus, similis est humano vestigio.

Verum animo satis haec vestigia parum sagaci.

XI. Ventriculus hepati adjacens quoad sinistram partem, totus est nerveus.

XII. A ventriculo vero procedit intestinum, similis conformationis, parvum, cubitorum non minus duodecim, orbiculatim in sinus implicitum, quod nonnulli colon vocant, per quod propulsatio digesti cibi procuratur.

XIII. A colo denique intestinum rectum extremum incipit, copiosam carnem habens, & in supremum orbiculum desinens. Quae restant eodem modo Natura ordine adornavit,

29. Sic in omnibus Libris Scriptum invenitur, & repraesentant omnes fere Editiones praeter Lindenianam, quae *ἐλομένη* exhibet, quia Hippocrates hac voce saepius usus est, ut ex Foëssii Oeconomia patet: sed frustra est, & audax facinus. Idem autem ille Foësius, hanc vocem ita in Oeconomia explicare instituit: *ἐλομένη hic pro ὅλη aut ὅλη, aut ἐλομένη posita videtur. ὅλον enim pro ὅλον, & ὅλη pro ὅλη, Ionice eodem libello scribitur, ut ἐλομένη idem, quod ἐλομένης, aut ἐλομένη indicet. Sic ap. Hesych. ἐλομένης, ὅλομένης exponitur, si modo recte scribatur; Haftenus ille. Verum ἔδν ἐν τῷ τοῖς ὕγις, nec quidquam huc faciunt; nam aut Hesychium, aut Hippocratem, aut utrumque simul hic depravatum esse, oppido liquet. Putem ergo levissima mutatione genuinam Lectionem ita me eruisse, substituendo nimirum loco nihil significantis *ἐλομένη*, vocem huic loco convenientissimam *ἐλμμένη*, quae est ἀπὸ τῆς ἐλμῆσαι, aut ἐλῶ, cicatricem sive sulcum ducō: unde hic κοιλίη ἐλμμένη erit ventriculus cicatricatus h. e. cicatriculis obductus, & rugis sive plicis sulcatus. Neminem autem etiam anatomes sacris tinctum modo, non imbutum, opinor, fugit, Tertiam sive intimam ventriculi tunicam, quae nervosa est, esse ita ἐλμμένην, sive rugis & sulcis incisam. Nam ventriculum totum non esse nervosum, & ex hac quidem vulgari versione colligi poterat, nec veteres latuit, ut ex Galeno, Celso aliisque patet, quanquam Theophilo, Rufo & plurimis falsa ista infedit opinio. Vertendus igitur postea hic noster erit locus in hunc modum: *Ventriculus hepatis juxta sinistrum latus adjacens, ea, qua cicatriculis & rugis signatus est, parte, nervosus est.**

30. Haec non de universo intestinorum volumine, quippe quod sexies plus minus ut plurimum superat hominis, cujus est, longitudinem; quam potius de intestinis sic dictis tenuibus tantum esse accipienda, recte observat Lindanus Med. Phys. c. IV. Art. v. 49. & probat ipsius Rufi Ephesii verbis, quibus hunc Hippocratis locum παρέρχασθαι, L. II. c. 17. de Part. Hom. Εἴς δὲ κείται τὰ λεπτὰ καλέμενα ἔντερος ἐπιμήκη καὶ πολυέλητα τῶν καὶ δέκα πηχῶν τὸ μήκος τυγχάνοντα: in ipso textu Hippocratis, ἐν κόλποις legitur, ut & repraesentavimus, pro quo tamen temere & sine necessitate ἐς κόλπους substituit Lindanus. Verba textus sequentia ibidem ita transcripsit candidus ille Rufus: Ἀπὸ δὲ ταύτης

γαστρὸς ἐμφύεται πέντε ἑλικήδων ἐλμμένη ἀπὸ τοῦ δοχῆν τῶν τῆς κοιλίας ὑποβιβασμένων σίτων, (falso legitur in quibusdam exempl. σίτων) & Latinus Hippocrates Celsus L. IV. c. 1. huc quoque respexisse videtur hisce quidem verbis: *Tenuius intestinum est, in sinus vehementer implicitum;* quibus verba ἐλμμένη δὲ ἐς κόλπους ἐνελόμενον eleganter expressit, unde & in versionem nostram recepimus. Unum autem facit intestinum Hippocrates ex antiquorum disciplina, quod unum & idem sit ab ἐκ φύσει, ad sedem ipsam iter, totumque sit sibi continuum, idemque Colon vocant, quod alvus inferior veteribus, ut Erasistrato, dicitur, velut testatur etiam Gellius L. XVII. c. 11. (non inverte, ut allegat Foësius) ἐμοιοῦσιν αὐτὴν δicit, quod unum sit similitudine, substantia, & natura sibi cognatum, aut quod intestini substantia non multum à ventriculi natura diversa sit, ut scribit Galenus c. 17. L. II. de VS. part. haec Foësius. An denique κῶλον, aut κόλον sit scribendum, alii viderint, quibus plus super est otii: Mercurialis, Lindanus, Riolanus, Salmasius de Ann. Clim. p. 732. & alibi, & alii posterius probant, prius autem ipsi Aristoteli, Galeno, Rufo Ephesio, Theophilo, Nemefio aliisque veteribus placuit. Videtur utrumque posse defendi. Sed tanti non est, ut ei diutius immoremur.

31. Δακτύλιον hic vocat in extremo ano musculum illum orbicularem constrictorio-patefactorium, sphincterem vulgo dictum, anoque annuli instar factis lati circumjectum, quem Hebraei eundem in modum גלגל Galgal sive Rotam ob figuram σφαίρειοις vocarunt, ut in Coheleth. XII. 6. -גלגל הבור Hagalgal el habbur, Rota super cisternam, h. e. caste & aenigmatice, stylo Hebraeorum, sphincter ani orbicularis: conferatur Grotius in h. l. p. 266. T. 1. Opp. Theol. similem musculum in vesica urinaria supra μετεχῆν vocaverat, ut ibi explicuimus. Est autem Δακτύλιος vox Attica, ut plures aliae in Hippocrate, & idem est ac διαστέλλον, diducens, aperiens, ut exponit Hesychius: inde apud Aristophanem Equitibus, Act. V. S. 2. extrema: καταδακτυλικός in χολ. explicatur per στυκιστικόν καὶ ἑδακτυλίας ἑπρωκτῆ, h. e. qui hesternae coenae occurrat, ut Satyricus loquitur; sed praestat de infanda hac obscenitate penitus tacere. Sumitur quoque vox ista δακτύλιος, pro annulo, ut notum, quod ille ambiat quasi & constringat digitum. Verum jam non in hoc sed alio circulo,

NOSTRI COMMENTARII

ESTO

F I N I S.

